

2. 6. 184

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII ARRIGHII

DE VITA ET REBUS GESTIS

FRANCISCI MAUROCENI

PELOPONNESIACI

PRINCIPIS VENETORUM

AD SENATUM

LIBRI IV.



PATAVII. CIↃIↃCCXLIX.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII ARRIGHII AD SENATUM EPISTOLA.

PATRES CONSCRIPTI.

SI verum id eſt, quod ab hominibus ſapientiſſimis dici ſolet: Diis Immortalibus volentibus, urbes magnas naſci: eorumque numine eas creſcere, & cæteris

Digitized by Google

imperitare; edique his ipſis Viros, Heroas, & quaſi Deos quoſdam, quorum virtute illæ vigeant, ac diu conſtent: VENETIÆ *veſtræ, Patres Ampliſſimi, cunctis Gentibus hoc nomine occurrunt, & quaſi lucent. Nam, quæ illarum eſt felicitas & majeſtas, ſitæ aquis mediis eæ ſunt; nec Deum voluntate ſolum, ſed manu etiam quodammodo, operaque; vique, nutuque illorum eo claritatis, ac magnitudinis venere, ut nec ulla major in terra Italia, aut extra etiam,*

vel

Digitized by Google

vel clarior urbs ſit, nec fuerit aliquando. Thebæ veniant; veniant Athenæ, Roma potens, inclyta Carthago; mihique natalem diem ſuum, ortuſque initia ex faſtis canant: Tyberim, Tarpejas arces Roma objiciat, & Martis mœnia: Attici, Thebani, Pœni origines prædicent ſuas admirandas; magnificent; in cœlum tollant; ego eas voces ad Poetæ ſellam, ac tribunal Sapientis maxime adducam; qui has homines dicet; illas contra Deos poſuiſſe.

Digitized by Google

Crevere cunctæ, Diis bene juvantibus; longeque ac late imperitarunt; hoc tamen intereſt inter Venetam, ac reliquas Civitates; quod hæ non plurimis ſeculis imperium tenuere; quod omnium fere urbium iſtiuſmodi veſtigia nunc vix apparent: Veneta Reſpublica, nata jamdiu, præclare adhuc nunc imperitat. Quattuordecim abhinc fere ſeculis, religionis, gentiſque humanæ bono ſata, adhuc viget, veget; ut ille inquit, utpote plurimum; jura populis, legeſque

dat;

dat; bona in bonos dominatur; ſummis nunc item prope Imperio; aliquando vero etiam par; diuturnitate porro, ac juſtitia non fucata omnino major. Virorum copia, ac ſapientia Urbes inclytæ pugnabunt, quorum virtute, pace belloque, pulcherrime floruerint. Ecquis vero inficietur, Græcas urbes, Carthaginem, aut urbem Romam vim non dicam hominum, ſed Heroum, ac propemodum Deorum, non edidiſſe modo, ſed etiam profudiſſe; quorum opera, & conſiliis in

ocu-

Digitized by Google

oculis omnium Gentium exſplendeſcant? Jure igitur prudentiæ ac juſtitiæ opinione Draco, Solon, Ariſtides celebrantur. Jure Themiſtocles, vir fortiſſimus, cujus clariſſimæ teſtis victoriæ pugna citatur Salaminia. Jure Epaminondas, cujus eſt illa pugna memorabilis ad Mantineam; cujus ſunt voces divinæ illæ, cum percuſſus ſparo, in prœlio concidiſſet: Satis vixi: invictus morior. *Jure magnitudine rerum geſtarum Annibal, & Amilcar, duo belli fulmina; quibus vide-*

Digitized by Google

detur Populus Romanus vinci potuiſſe, niſi eſſent domi Civium ſuorum invidia debilitati. Quid porro dicam de Romana Civitate, unde viri innumerabiles, qui cæteris mortalibus omni virtutum genere antiſtarent, exſtitere? Reliqui prætermittantur. Duo dumtaxat Africani nunc commemorentur, quorum altero Annibal Carthaginienſis victus eſt; victa altero, ac deleta Carthago ipſa. Ecquis in terra Italia: ecquis in terra Græcia: vel etiam inter barbaras nationes, inventus eſt,

qui cum his duobus, quæcumque virtus animi attendatur, juſtitia, abſtinentia, conſtantia, fortitudo, ſumma quædam rerum admirabilium ſapientia, conferri queat? Quorum ſanguine, ac ſudore urbs Roma; hoc eſt Imperium omnium Gentium, præclare ſtetit; qui denique ſic cæteris, qui ſecuti ſunt, Rem Romanam tradiderunt, ut eam retinere, non augere viſi ſint; aut ei rei ad ſummum, illorum opera, perductæ, veluti faſtigium quoddam imponere.

Sed

Digitized by Google

Sed tamen hæc ipſa Urbs, quæ lumina, virorumque robora, quæ dixi, edidit: mitto reliquas: peſtes etiam hominum peperit, quibus vexata primum eſt; deinde vero imis radicibus evulſa, & exſtirpata. Nemo unus tempora Sullana: nemo Cinnæ, Marii, Lepidi, Cæſaris, Pompeji, Triumvirum poſtremo peſtiferam ſævitiam recordabitur ſine lacrimis. Ac videte nunc, Patres Ampliſſimi, quæ ſit felicitas Venetæ Civitatis. Reliquæ gloriantur, ſe filios genuiſſe, quibus matres no-

Digitized by Google

bilitatæ, pulcherrime floruerint: VENETIÆ *eos, quorum virtute, & præclare adhuc ipſæ ſteterint, & etiamnum ſtent. Reliquæ eos qui Rempublicam eo magnitudinis perduxerint, quo hominum induſtria perduci queat:* VENETIÆ *illos qui talem Rempublicam ſuis ingeniis conſtituerint, cui neque domeſticum ullum malum adhuc nocuerit; nec nocere deinceps poſſe videatur. Quod eam vim quidem habet, ut hoc interſit, quod intereſt inter eas res quæ ſunt; quæque non ſunt; idque*

in

Digitized by Google

in his quæratur, bene, an male ſint illæ conſtitutæ.

Sed cum his quæ dixi, Veneta Reſpublica cæteris antiſtat; tum vero ea re maxime, qua veriſſime gloriatur, eam peſtem Civium nunquam in Civitate coaluiſſe, quæ coaluit in reliquis civitatibus. Viri editi, quorum ea indoles, atque ingenium perpetuo fuit, non ut certarent factione cum factioſis; non divitiis cum divitibus; ſed cum ſtrenuis virtute; cum modeſtis pudore; abſtinentia cum innocentibus; e-

juſ-

Digitized by Google

juſmodi poſtremo, qui boni eſ-ſe, quam videri mallent. His luminibus boneſtata, late ni-tet; virtute nulla maximis mi-nor, pluribus major; quæ re-ligio habet; quæque nobis con-tigit; illis non contigit. Sed nomina recitant admirabilia; quaſique ad tibiam virorum ca-nunt laudes honoratorum. Re-cte id quidem faciunt, atque jure. Socios nos quoque in ea re ipſi habent. Sed recito et-iam ego facta fortia, ac res ingentes hominum veſtrorum. Quæ ſic commemorabo, non ut

nu-

Digitized by Google

numerem, ſed ut vera his eſſe oſtendam, quæ dico. Quis animi conſtantia, ac fortitudine Stephano Contareno clarior unquam fuit? qui ſtatim ac claſſi Benacenſi præfectus eſt, Curia egreſſus, feſtinans domum venit; deque via vocata uxore: Mulier, *inquit*, para continuo, quæ mihi opus ſunt, ad bellum proficiſcenti. *Cumque illa multimodis timeret:* Fruſtra, *inquit*, id facis. Cæſar, aut cæſus poſtpaullo ero. *Vicitque hoſtium claſſem valentiſſimam.*

Quis

Digitized by Google

Quis Carolo Zeno, Petri filio, qui Ligurum claſſem potentiſſimam, cui Bucicaldus, vir fortiſſimus præerat, devicit ad Methonem? Qui Bichioniam illam navim, magnitudinis inuſitatæ, carminibus nobilitatam, militum fortiſſimorum copia inſtructam, refertamque gaza ingenti cepit? Qui Clodiam urbem, pene ſolus, Genuenſibus eripuit? Quique hæc omnia, ſanguine & vulneribus confectus, perpetuo geſſit?

Quis Aloyſio Molino? Cujus

Digitized by Google

jus eſt inaudita animi virtus. Redeunt in mentem leges illæ iniquiſſimæ Fœderis Cameracenſis. Quo tempore, cum Principum injuria, ac ſævitia pulſi propemodum eſſent Veneti ſuis finibus; cum VENETIIS *ipſis gladios minitarentur; cum ſummus eſſet omnium timor; ipſe nihil timens; tantum roboris, animique habuit, ut cogitarit de Patavina Urbe recuperanda, quam etiam recepit. Quis Dominico Piſano, cum Legatus eſſet apud Julium Pontificem, cui libere reſtitit? cujus con-*

Digitized by Google

ſilia animo ingenti reprehendit? Quæ virtus par virtuti M. Antonii Bragadeni? Ad Muſtaphum adducitur. Adducto, contra fidem, aures præciduntur. Detractis veſtimentis, virgis crudeliſſime cæditur. Videnti ac vivo pellis diducitur, laceratur. Quæ virum non movent. Tyranno perfidiam exprobrat. Nullaque illius vox deinde audita eſt, indigna viro forti, nominiſque Veneti majeſtate. Mitto alios innumerabiles, in quibus, Patres Ampliſſimi, veſtros Decios, vos quoque,

Digitized by Google

que, veſtroſque Appios habuiſtis. Unum non mittam, ſummum Imperatorem, FRANCISCUM MAUROCENUM, *in quo uno ſpes, opeſque Civitatis diu fuere; quo maxime Veneta Reſpublica eſt nobilitata; quo denique Urbs Veneta tamdiu gloriabitur, quamdiu Veneta Urbs erit. Huic ego paucos omnino pares puto; neminem vero antefero, ne ex his quidem Imperatoribus, qui ſolent cæteris anteferri. Tollunt Pœni in cœlum uſque ſuos Annibales. Habet Græcia ſuos*

Agamemnones, & Alcibiades, quibus triumphet, & glorietur. Roma habet Scipiones ſuos, ſuos Africanos, pace belloque claros; ac non tam hoſtibus, quam Petiliis ſæviſſimis nobilitatos. Vos FRANCISCUM *veſtrum, veſtrum* Peloponneſiacum, *Urbis Venetæ Scipionem; terra ac mari, & urbium oppugnatione, ac cæde hoſtium innumerabilium magnum illum quidem, ſed majorem Candiæ defenſione, trucique impetu ſuorum Petiliorum. Hoc dumtaxat unum ei deeſt ad parem nobi-*

bilitatem, quod reliquis Homeri incliti non defuerint, qui laudes illorum canerent; recteque canere didiciſsent; at MAUROCENO *carmen par adhuc defuit; ac deinceps quoque fortaſſe deerit; copia in dies magis hominum eloquentium, veluti parente effœta, deficiente. Ego vero ad operam acceſſi, non quo tantam vim ingenii, geſtarumque rerum magnitudinem, noſtra oratione exæquari poſse, exiſtimarem; ſed, re præbita præclariſſima, cæteros hortarer, ut illa ſcriberent,*

quæ ſcribere ipſi poſſent; ego non poſſem. De quo homine prædicare hoc non dubitabo: neminem animo, aut ſpe majora unquam ſuſcepturum, qui ſibi non illius memoriam, atque imaginem proponendam putet. Sed noſtra hæc tamen, Patres Ampliſſimi, cuicuimodi ſint, vobis, veſtris nominibus, veſtræque majeſtati, do, dico, dedico; in quibus, ſi minus facultatem, egregiam quidem certe voluntatem erga vos, ac ſummum veſtrum Imperatorem, maxime probetis. Valete.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

NULLUM eſt ſcribendi genus, quod magis, amice Lector, ego reformidem, quam id genus, quod pertinet ad Hiſtoriam, ſcribendaſque vitas, ac geſtas res virorum excellentium. Ea enim in iſtiuſmodi ſcriptione ſunt præſtanda, quæ non tam facile præſtari poſſunt. Terrent maxime, quoties legendo in illa incido, quæ ſunt apud Tullium Libro II. De Oratore.

Videtis ne, inquit, *quantum munus ſit Oratoris Hiſtoria? Haud ſcio, an flumine orationis, & varietate maximum.* Poſt paullo: *Nam quis neſcit, primam eſſe Hiſtoriæ legem, nequid falſi dicere audeat? Deinde nequid veri non audeat? nequa ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo? nequa ſimultatis? Hæc ſcilicet fundamenta nota ſunt omnibus. Ipſa vero exædificatio poſita eſt in rebus, & verbis. Rerum ratio ordinem temporum deſiderat, regionum deſcriptionem; vult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriaque dignis, conſilia primum, deinde acta, poſtea eventus exſpectantur, & de conſiliis ſignificari, quid ſcriptor probet; & in rebus geſtis declarari non ſolum, quid actum, aut dictum ſit, ſed etiam, quomodo; & cum de eventu dicatur, ut cauſſæ explicentur omnes, vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis; hominumque ipſorum non*

ſolum

Digitized by Google

ſolum res geſtæ, ſed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cujuſque vita, ac natura. Verborum autem ratio, & genus orationis, fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac judiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis, perſequendum eſt. Terrent, quæ tradit in libello de ſcribenda Hiſtoria Lucianus.

Talis, inquit, *igitur mihi ſit hiſtoricus, metus expers, muneribus incorruptus, liber, in dicendo libertatis & veritatis amicus; &, ut comicus ille ait, ficus ficus, ligonem ligonem appellet; non odio, neque amicitiæ quicquam tribuens, non parcens, aut miſereſcens, aut erubeſcens, aut exorabilis: æquus judex, benevolus omnibus eouſque, ut ne alteri tribuat pluſquam par eſt; hoſpes in libris, ac peregrinus; ſui juris; nullius imperio ſubditus; non quid huic, vel illi placiturum ſit cogitans, ſed, quid actum ſit exponens.*

Hæc tam multa, tamque magna ſunt, ut in tanto eorum numero, qui res memoriæ prodidere, pauciſſimi adhuc inventi ſint, qui iſthæc omnia perficere potuerint. Atticus itaque apud Tullium lib. I. De Legibus Fabium hoc nomine, Catonem, Piſonem, Fannium, Vennonium irridet; nihilque ait tam eſſe exile, quam iſtos omnes; Antipatrum etiam; eumque docet, quamvis inflarit paullo vehementius, agreſtes tamen, atque horri-

Digitized by Google

horridas vires habuiſſe; etſi, quod inflaverit, alios potuerit admonere, ut accuratius ſcriberent. Clodium vero Quadrigarium, & Aſellionem feciſſe ait omnia ad antiquorum languorem, & inſcitiam. Qui tamen ſi exſtarent, id auſim affirmare, noſtris Aſellionibus, qui ſuperioribus ſæculis Latine ſcripſere, multis partibus eſſe anteferendos. Atque hæc quidem, ubi inventa res eſt, atque in promtu. Quid enim dicam de diligentia perquirendi, & inveſtigandi, quæ ſplendida etiam ingenia, nec tantopere laborioſa, ab hiſtoria deterret? Hæc magna ab his deſideratur, qui rebus geſtis interfuere; major ſine controverſia ab his, qui non interfuere; ſiquidem illi ipſi cogitent de vendibili ſcriptione. Quæ ſi exilia noſtris hominibus videntur, qui tam facile his temporibus ad ſcribendum accedunt; mihi tam magna perpetuo viſa ſunt, ut perpetuo etiam perterruerint. Indeque factum eſt, ut animo abjecerim innumerabilia volumina; atque in extremas terras tacite amandarim, quæ vulgo tamen innumerabiles admiratores, & patronos habent. Sed quæ fuerit induſtria adhibita, ne ad eos ſcopulos offenderem in Vita demonſtranda Francisci Mauroceni, quorum ſupra memini; tuum erit judicium, Lector benevole. Ego certe affirmare non dubitem; me operam dediſſe, ut diligentiſſime caverem. Sed ſunt nonnulli, qui, pluribus ediſſerentes, cuncta, quæ dixi, hiſtoriæ quidem tribuant;

at vitæ denegent. Cum hominibus iſtiuſmodi pugna nulla mihi erit. Qui ſi hoc dicerent, majus quiddam hiſtoriam eſſe; ac majora quædam poſtulare, quam vita poſtulet; recte, ut opinor, dicerent. Cum vero vitam ab hiſtoria ſejungunt, mihi videntur injuria ſejungere. Sed nolim mihi homines iraſci, hæc ſentienti ac prædicanti adverſus illorum ſententiam. Convenire omnino volo. Ajunt? ajo. Opus enim mihi eſt illorum benevolentia ad rem, quam paro, atque ad pleraque alia omnia. Unum hoc tamen ego ab his peto, rogo, quæſoque, ut, ſi valde facile illis eſt, vitas perſcribere virorum illuſtrium; aut etiam hiſtoriam, ſi hoc velint; ſinant, ut opiner, mihi de me aliter videri, homine nimirum ingenii infirmiſſimi. Ego palam prædico; palam profiteor, ea mecum reputans, quæ dixi; timide ac diffidenter ad Vitam perſcribendam acceſſiſſe Francisci Mauroceni Peloponnesiaci. Res enim magnæ, atque innumerabiles ſunt præſtandæ; atque, ut ille inquit, facta dictis exæquanda. Deinde quia plerique ſunt, qui, ubi memores de magna aliqua virtute, tum id probent, ſi perficere ipſi queant; ſi nequeant, falſa omnia eſſe prædicent; quæ plurimos a ſcribendo deterruere; neque facile detinuiſſent, niſi Clariſſimi Viri laus, quam jacere jamdiu animadverteram, excitaſſet; eoque adegiſſet, ut homines mallem de me pleraque dicere, quam de eo pleraque ſileri; etſi

ita

Digitized by Google

ita putem, operam allatam ferri poſſe. Qua in re, ut alibi dixi, tuum, amice Lector, doctorumque hominum judicium valebit. Si minus in reliquis, certe hoc uno vehementer gloriabor, ea memoriæ me tradidiſſe, quæ nemo queat unus inficiari. Scribo enim ea ætate, qua viri plurimi; iidemque magni, functi ſummis honoribus, adhuc vivunt, qui diu cum MAUROCENO fuere domi, militiæque. Deinde Commentarios ad Venetum Senatum miſi, cui acta omnia ſummi Imperatoris, recenti præſertim memoria, nota ſunt. Patres itaque Conſcriptos ego judices habeo; hos etiam appello. Hi judicio ſuo me ornabunt, ſi vera dixi; quod ſæpe fecere; ſin falſa, reprehendent. Vale.

Digitized by Google

DE FRANCISCO MAUROCENO,

ET ANTONIO ARRIGHIO

CARMEN

JOANNIS ANTONII VULPII.

QUOD *tibi Scipiadæ, Fabii, forteſque Camilli*
Adſurgunt, FRANCISCE: *animis quod fretus & armis*
Viciſti indomitam per mille pericula gentem:
Quod PELOPIS *claro decorat te nomine Tellus;*
Jure quidem felix fortunatuſque videris.
At non ille tamen Perſarum cæde cruentus
Magnus Alexander, bellis cum victor abiret
Omnibus, hoc unum ſtuduit, ſubmittere Grajis
Captam Aſiam, & regum circumdare colla catenis:
Sed cupidus benefacta ævo mandare futuro,
Flevit, & æternum Pelidæ invidit Homerum.
Scibat enim Soles rapidos, tempuſque malignum,
Immemoreſque homines, & longa oblivia Lethes;
Unde brevem Ducibus tollit mors altera famam.
Scibat, victuros, tanta vertigine cæli,
Hiſtoricum quibus, aut vatem fortuna paraſſet.
Gaude igitur cœtus, o MAUROCENE, *beatos*
Inter (ſi ſuperas mentes hæc gaudia tangunt)
Quod tibi ſit præſto facundo ARRIGHIUS *ore,*
Par priſcis, nitidus, ſublimis, vividus, acer;
Quem virgo armipotens afflavit numine Pallas.
Te mallet CRISPUS *miſſo laudare Jugurtha:*
Sorderentque viro Marii, Sullæ, atque Metelli
Facta, minora tuis. Nunc te colit alter ab illo,
Optime Dux; audetque Amiternis proxima chartis.
Audiat Invidia, & tercentum ſibilet hydris.

Digitized by Google

Egregium video Juvenem, cui gloria palmas
Oſtentat procul, & ſtimulos ſub pectore verſat,
Litora linquentem Patriæ. non blanda voluptas,
Non revocant mæſti, hærentes cervice, ſodales.
Deinde per Hadriacum fatis auctoribus æquor
Urgere impavidam remis veloque carinam;
Quam circumſiſtunt Nereides admirantes.
Jam ſecat Ionium, ſparſas jam terret in alto
Cycladas Ægeo, fumat jam ſanguine Thracum
Navifragos inter ſcopulos, rabiemque profundi.
Ecce mihi hoſtili lucent incendia claſſe,
Cui novus hic flammas in portu ſubdidit Hector.
Prædones ceſſere mari, ſolaſque procellas
Horret, qui fragili percurrit cærula puppe:
Et, modo pacatis adſpiret flatibus aura,
Securus mutat peregrinas navita merces.
Ferrea terribilis Muſtaphus vincula ſentit,
Qua Naxo diſtat modico Paros intervallo.
Spiritus ille minax, Veneta captivus in arce,
Frangitur, & vanâ paullatim deficit irâ.
Nominis umbra tui pavidos jam pugnat in hoſtes,
MAUROCENE*: tremor pallentes occupat artus;*
Tela manu fluere aſpicias, & præſcia longe
Corda micare viris. heu heu dabit ille ruinas
Imperio, vertet Bizantia mœnia bello:
Armorumque vocant, tempeſtatumque potentem.
Vos teſtes, Epidaure, Ægina, & milite forti
Defenſa, in medio fluctu non ultima, Tenos.
Vos Megara everſa, & vos, Thracibus addita clauſtra,
Dicite Abydenæ fauces, quo ſanguine veſtrum
Sudarit litus, quot barbara corpora victor
Piſcibus Helleſpontiacis projecerit eſcas.
Tu vero in primis; Cretæ florentis ocelle,

Digitized by Google

Europæ atque Aſiæ longus labor, altera Troja,
Spectatrix magnorum operum; tu Candia teſtis,
Obſidione gravi terrâ oppugnata marique,
Tertia donec agris meſſorem induceret æſtas.
Magnanimum dic Heroem; dic, qualibus armis
Reppulerit toto advectas Oriente cohortes,
Impiger, inſomnis: quoties, fulgentibus aſtris,
Texerit impulſas objecto pectore turres,
Fatorum mora; nec vitæ, ſed laudis avarus.
Quid mihi centum oculis inſtructum ſubjicis Argum,
Fama vetus? dirumque Gyan, cui brachia centum?
Hic longe exſuperat Grajæ portenta Minervæ,
Ut vix humana videatur ſtirpe creatus.
Ecce ferox animi mediis in millibus ardet
Sævus Achomates, cæcoque agitante furore
Inſtituit, muros & propugnacula carptim
Vellere. Quis credat? ſubito nova mœnia ſurgunt,
Lernæus tamquam ſi creſcat vulnere ſerpens.
Parte alia injecto ſuccenſus pulvis ab igni
Viſceribus laceræ telluris fertur in auras
Erumpens: furit immiſſis Vulcanus habenis:
Eruta ſaxa volant, reboat mugitibus æther.
Fundamenta labant penitus; magnoque fragore
Valles intremuere humiles, colleſque ſupini.
Horrendum tonat, ex imis convulſa cavernis,
Terra: pavent ipſi Manes, & luridus Orcus.
Multa vides fœdo disjecta cadavera leto,
Trunca pedum & manuum, ſparſoque obtrita cerebro.
Non tamen ulla Virum deturbat mortis imago
Mœnibus a ſummis; non ſi ruat arduus axis;
Quin animi ſuperent, & frangi neſcia virtus.
Mox aliam reduci verſuta Calumnia pugnam
Excitat in gremio Patriæ; mirabile monſtrum;

Sæ

Sæva, parata neci. ſtricto mucrone, bonorum
Quæ jugulum petat. infando cui tincta veneno
Lingua, truces oculi, turpes rubigine dentes.
Verum impar congreſſa tibi, Dux unice, claras
Adjecit palmas, & ſummos auxit honores.
Nempe Deus voluit rebus ſervare ſecundis
Tam carum caput, & Venetos protendere fines,
Qua PELOPIS *rapido circumdatur Inſula ponto.*
Arcadiæ te rura vocant, tibi ſupplicat Argos,
Et quæ commiſſis olim eſt gaviſa quadrigis
Elis, & antiqui Neleïa Neſtoris arva.
Perge Coroneos victor tolerare labores.
Jam tibi certanti patet expugnata Methone,
Nauplia, Naupactus, Lacedæmon, Leucas, Athenæ.
Jamque aperit portas Ephyre pretioſa metallis.
Accedunt Patræ, ac fluctu pulſata Cythera.
Felix o Regio, dominis erepta ſuperbis:
Felix, qui duros potuiſti pellere Thracas.
Æneus o utinam ſtares, nomenque teneres
Euboici! fatis nimis ab contraria noſtris
Eubœa, & fruſtra tentatæ Chalcidis arces!
At præclarus obis: meritis maturus & annis
Scilicet: ornantur patrii te Principe faſti.
Flos Venetûm FRANCISCE, *Ducum fortiſſime, ſalve,*
Mente vigil, contemtor opum; quæ maxima laus eſt.
Te Fratris MICHAEL *ſoboles colit: & tua pollens*
Eloquio, mira vindex ARRIGHIUS *arte*
Inclyta manſuris committit nomina chartis.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



P.M. del. e ſculpſ.

Digitized by Google

ANTONII ARRIGHII
DE VITA ET REBUS GESTIS
FRANCISCI MAUROCENI
PELOPONNESIACI
PRINCIPIS VENETORUM
LIBER I.

FRANCISCUS MAUROCENUS ab origine ultima ſtirpis Venetæ generatus, familia fuit nobili, ac ſenatoria. Satis enim conſtat, Gentem Maurocenam duodecim illarum numero fuiſſe, quæ Principem crearunt, qui primo Venetis præfuit, Remque Venetam adminiſtravit; eamdemque deinceps Principes quattuor Civitati dediſſe, quibus imperantibus, Reſpublica domi ac foris bene & feliciter geſta eſt. Generis nobili- 1618.

Digitized by Google

bilitatem regiæ deinde affinitates clariorem fecere; nuptiiſque ſoboles procreata. Nam ex Thomaſina Maurocena, fœmina clariſſima, Andreas hujus nominis III. cognomento Venetus, natus eſt, qui fuit Rex Pannoniæ; & Conſtantia, Michaëlis Mauroceni filia, Ædis D. Marci Procuratoris, quæ Andreæ ejuſdem matrem, amitam majorem habuit, Uladislao nupſit, Stephani filio, Uroſcii I. nepoti, Regis Serviæ. Venetiis natus eſt anno MDCXVIII. menſe Februario; eique deinde *Peloponneſiaco* cognomen ex virtute fuit. Patrem habuit, Petrum nomine, ſummæ cujuſdam ſeveritatis Virum, Ædis D. Marci Procuratorem; Matrem vero Mariam Maurocenam, moribus leniſſimis. Puer domi ſevere admodum a patre habitus eſt; cum indole aſperiore eſſe videretur: quod ſæpius in ſermonibus is dicere conſuevit, ac vehementer gloriari. Sic enim accepimus, patrem pleraque identidem minitatum, filium a ſervorum, ancillarumque contubernio, unde collabefieri ætatem primam arbitrabatur, perpetuo removiſſe; reſque duas, omnium cariſſimas uti haberet, præcepiſſe, Virtutem & Rempublicam; atque ob eas res ſtudiis

diis litterarum voluiſſe eum continenter operam dare. Itaque artes humaniores impenſe didicit; ac majore quadam diligentia hiſtoriæ præcepta, reique nauticæ, ac militaris. Cum mos eſſet, ut ficta quædam litterarum pugnæ a pueris in ſcholis fierent; eas ipſe ſumma conſtantia ſprevit. De qua re a patre ſuper cœnam interrogatus, reſpondit: *Urbes illis pugnis nullas capi*. Bella itaque, & communem Martem ei placere; quique virorum inde eſſent frequentes obitus, cum pater adderet; ſatis ferociter reſpondiſſe fertur: *Naturam cunctis animantibus, morbo, aut ferro ſeptis finem eumdem facere*. Jam tum primum ſtudia hæc rei militaris ſe ſe in puero oſtenderunt; quibus deinde Rempublicam magis nobilitavit; ipſeque magnus, præclaruſque in primis factus eſt. Tale quid de Annibale, & Africano ferunt, aliiſque non multis, in tanto urbium, annorumque numero. Adeo verum eſt, matrum inſtar, civitates eſſe, quæ hominum robora divinaque ingenia aliquando pariunt; diu deinde illæ jacent, multis ac magnis tempeſtatibus, veluti parente effœta. Cum æqualibus in ludo ita verſatus eſt, ut crebrius de acie & caſtris cum iis loquere-

tur, quam de litteris. Corpus natura illi dedit ſatis firmum ac robuſtum, quod ganea non fregit, aliiſque Civitatis ſuetis libidinibus; acre etiam ingenium, ac vehemens in primis; quæ omnia in utramque partem crebris exercitationibus auxit. Ac ſæpius hoc dicere eum ſolitum, accepimus: *Rerum humanarum hanc ſeriem, ordinemque eſſe ſibi placere, ut ſecundum Deorum Immortalium religionem, una quædam forma imperandi eſſet, communis cunctis gentibus, ac ſalutaris; eique inſtituendæ apta inſtrumenta belli eſſe; his porro litteras, divitias, reliqua omnia, quæ bona appellantur, deſervire unice oportere.* Togam virilem
1638. ſumſit annos viginti natus; neque ita poſt multo a Parentibus impetravit, ut ſibi in Claſſe eſſe liceret; Reique publicæ operam dare.

II. Ingenti igitur animi alacritate, bonis omnibus, dum Urbe exiret, comitantibus, ad Claſſem profectus eſt; ibique, more majorum, militiæ tirocinium poſuit. In navi triremi fuit, cui Petrus Baduarius præerat, eorum patriciorum numero, qui addiſcunt rem maritimam; qui primus gradus eſt, quod pertinet ad Claſſem, Reipublicæ capeſſendæ. In ea itaque cum eſſet, magni æſtimata eſt ejus opera in prœlio ad

ad Aulonem, in quo ſexdecim triremes naves 1638.
barbarorum captæ; quarum quattuordecim mari demerſæ; ex duabus reliquis una piratis, quibuſcum pugnatum fuerat, deinde eſt reddita; altera Venetias perducta; memoriæque ergo, in armamentario collocata; quæ ad hanc diem cernitur. Hac pugna famæ ejus fundamenta jecit, quæ deinceps ad ſummum pervenit; quæque non modo Claſſis poteſtates, alias poſt alias, ordine ei peperit; ſed quater Imperium etiam, & Principatum. Ac mos Venetis, a majoribus traditus, ut patricii, Claſſis initio, minores præfecturas ineuntes, navim triremem, publice iis traditam, remigibus ſexaginta ipſi etiam inſtruant; eaque Reipublicæ commodis deſerviant. Patriæ inſtitutis Maurocenus 1641.
paruit. Navem de more ornavit; eamque his verbis, quæ ab omnibus, qui in Claſſe erant, cerni ac legi poſſent, inſcripſit:

IN CERTAMINE PRIMA.

Idque non tam velocitati, quam virtuti tribui voluit; neque id verbo ſolum, ſed re etiam ipſa effecit. Namque ea navi, neque ita poſt multo, cum Claſſis Veneta magnis viribus apud 1645.
Melon inſulam cum hoſtibus certaret, primus

ipſe

1645. ipſe prætoriam adortus, ita acriter conflixit, ut non ante ab ſe dimiſerit, quam propemodum dilacerarit; noxque certamini eam ſubduxerit. Qua de re litteræ exſtant ab Hieronymo Mauroceno Claſſis Præfecto, ad Senatum miſſæ, hac ſententia:

Patres Conſcripti.

Re diligenter in conſilio agitata, tandem placuit, cum barbaris pugnare. Claſſem primum circumii. Quæ fieri placeret, imperavi. Ac vix quidem ad prætoriam redieram, cum ad manus noſtri venere. Sed Franciſcus Maurocenus, navi trireme ſua, virtute ſumma, prætoriam barbarorum princeps adortus eſt; quam propemodum fregit.

Pugna hac Maurocenus corona, & virgula honeſtatus eſt, quæ navibus iis tribui ſolent, quæ primæ prœlium iniere. Atque his quidem effectum eſt, ut milites, Duceſque Copiarum, adoleſcentis fortitudinem vehementer admirati, magnifice per omnes locos de eo loquerentur; multiſque laudibus conſilium, & conſtantiam illius celebrarent; cæteriſque patriciis, qui plures in Claſſe erant, oſtenderent, ut veluti exemplar quoddam propoſitum ad imitandum, cuncti ſequerentur. Spes itaque Patribus injecta eſt, talem eum fu-

tu-

Digitized by Google

turum , qualem deinde cognitum judicarunt. 1645.
Quibus evenit, ut quoties in publicum prodiret, omnium oculos in ſe converteret; eſſetque cunctis merito cariſſimus. Quas res omnes forma etiam corporis decora plurimum adjuvabat, ac ſpecies quædam imperatoria, & comitas ſermonis admixta gravitate. Olim in cœna cum quidam ex amiciſſimis ei diceret: *Omnes bona omnia, honoreſque illi cupere*; paullulum moratus, ſic reſpondiſſe fertur: *Bene de me ii quidem meriti. Sed ego tamen unice id cupio; atque a Diis Immortalibus maxime precor, ut Patria, inclyta virtutibus, caneſcat ſeclis innumerabilibus.*

III. Præfuit deinde ordine quinqueremi; 1646.
quam poteſtatem annos tres tenuit. De qua re dubito, quemadmodum exponam. nam vereor, ne, ſi res ſingulas perſequar, non vitam ejus enarrare, ſed hiſtoriam ſcribere videar; ſi ſummas tantummodo attingam, ne Viri Clariſſimi memoriæ fraudi ſim. Quantum itaque licebit, utrique rei medebor; idque deinceps in vita reliqua faciemus. Rhytimnam oppugnabant barbari; qui locus maximis, ac firmiſſimis præſidiis a Venetis tenebatur. Vis magna tormentorum urbi inerat, quorum perpetuo pulſu

Digitized by Google

1646. pulſu Turcæ ab oppugnatione deterrebantur. Diuque ea res eos anxios, ſolicitoſque habuit. Tamen quod inſtituerant, perficere voluerunt; urbemque cepere. Sed illa in re, tanta animi audacia fuit Maurocenus, ut non cæteros modo claſſiarios verbis impelleret, ut in barbaros, ad mœnia agentes, fortiſſime ferrentur, ſed ſæpe etiam ſolus ipſe, inter tela hoſtium, una illa quinqueremi, cui præerat, eo accederet; cædemque hoſtium ingentem faceret. Idque ipſum non ſemel, ſed ſæpius (quod mi-
1647. rabile omnibus viſum eſt) apud Chium fecit, cum barbarorum claſſis navium longarum nonaginta portu egredi, a noſtris prohiberetur. Non raro enim contigit, ut, cum univerſis exire non liceret, ſingulæ tentarent; queis Maurocenus, aut quinqueremi impedimento fuit; aut majore vi aliquas adnitentes disjecit. Nulluſque fere dies fuit, quamdiu noſtri in ea obſidione fuerunt, quo non ipſe portum proxime adnavigaret; ac barbarorum ſtragem faceret. De qua re exſtant litteræ Johannis Baptiſtæ Grimani, verbis magnificentiſſimis ad Senatum ſcriptæ. Cymen in Aſia oppidum ferunt. Locus is fuit natura, atque arte ſatis idoneus;

neus; portuſque ei oppido anguſtus . Eo navigia quædam hoſtium, metu noſtrarum navium, quæ haud longe aberant, ſeſe receperant . Telorum ictu , quominus hæ portum tenerent , longe propellebantur . Hæc cum animadverteret Maurocenus, auctor Imperatori fuit, ut eo naves aliquot , curſu velociſſimæ immitterentur. Idque ſi fieret, capi navigia poſſe, aut incendi. Seque, ſi per eum liceret, facturum pollicetur. Id conſilii tamen a pluribus rejiciebatur . Sed placuit Imperatori, eo Maurocenum eumdem mittere . Iſque incredibili quadam felicitate uſus, ſeſe in portum intulit; ibique navigia pleraque incendit. Fuere tum, qui id facinus, animique præſentiam , & audaciam vehementer admirati, luderent epigrammate; canerentque hæc ad tibiam in cœna: 1647.

In Certamine Sola.

Hiſque factum eſt, ut Nauplia decedens Grimanus Imperator, navium longarum manui Maurocenum præficeret; eumque cæteris anteferret. De qua re ejus ſunt litteræ in hanc ſententiam ad Senatum miſſæ:

Patres Conſcripti.

Placuit, naves aliquot apud Naupliam habere. Hiſ-

1647. *que præpoſui Franciſcum Maurocenum. Vir eſt diligens imperii, & fortis; ejuſque fides, ac virtus multis belli caſibus cognita mihi eſt.*

Per idem tempus bellum fuit Creticum, ſævum ſane, atque ingens. Namque barbari viribus maximis Inſulam ſunt adorti. Diuque certatum eſt obſtinatis animis, variaque fortuna Reipublicæ. Atque ad Urbem Candiam, caput Inſulæ, vis maxime belli hæſit, quæ magnas utrinque opes abſumſit, hauſitque. Ac primum quidem Turcæ Urbem leviter obſedere; aſpere deinde eam oppugnarunt. Poſtremo tanta vis hoſtium ſeſe ad Urbis mœnia effudit; tantoque impetu actum eſt, ut propugnaculum, cui nomen Martinengo, ceperint. Cujus rei celeri rumore per Urbem dilato, terror
1648. quidam incredibilis omnes invaſit. Quæ cum cerneret Maurocenus, eo celerrime cum aliquot militum manipulis venit; tantaque vi, & audacia cum barbaris pugnavit, ut eos inde ejecerit. Eaque res magnis laudibus a militibus in Claſſe eſt celebrata. Quibus permotum Aloyſium Mocenicum, qui tum erat Imperator, hæc ad Senatum ſcripſiſſe, inveni: *Turcas ſummo mane, ſummis viribus, maximiſque clamoribus, ad Candiæ propu-*

pugnaculum, cui nomen Martinengo, ſeſe effudiſſe: ad 1648.
meridiem eoque amplius, acriter oppugnaſſe: denique potitos eſſe. Idque cum Urbe exiſſet, eo ipſum continuo accurriſſe cum reliquis omnibus Claſſis præfectis, in quibus Franciſcus Maurocenus princeps fuiſſet; eumque, in magno omnium metu, nihil metuentem, cædem ingentem hoſtium feciſſe; quo facto, propugnaculo eſſe dejectos.

Ac Patres quidem, ea re læti, ſupplicatione indicta, gratias Diis Immortalibus dies plures egere. Litteras deinde comperi hac ſententia ad Imperatorem miſſas: *Senatui grata eſſe omnia, quæ ab eo acta de Urbe eſſent liberanda, tuendaque: quæque a præfectis Claſſis; quibus publicam quoque benignitatem pollicitus eſt: particulamque juſſum ſingulis litterarum dare, quibus, cum res poſceret, uti tabulis ac teſtibus, uterentur.* Mox de Mauroceno. *Hujus virtus*, inquiunt, *factumque egregium nobis multimodis probatur; quem publice laudabis, atque ore pleniore. Is eſt, de quo ſpes magna injecta eſt Civitati. Pro eo ac meretur, honores conſequentur.* Quæ cunctis ingentem quamdam animorum alacritatem fecere, cum animadverterent, Patrum judicio prudentiſſimo, graviſſimoque ſingulorum diligentiam, ac virtutem commendari.

1649. IV. Provincia deinde ſinus Adriatici ei delata eſt, quam annum tenuit. Atque id quidem munus his fere partibus cenſetur; ut qui obtinet, a finibus Italiæ, atque Illyrici barbaros ſummoveat; prædones conſectetur, ne iis locis illi noceant, quæ ad Pontificem Maximum, aut Venetos pertineant. Denique uti mercatores tuto navigent. Quæ ſæpe plurimos implicuere. Functus eſt fortiſſime hoc munere Maurocenus. Mare tutum, liberumque effecit; procul a finibus barbaros pepulit; ut per jocum, qui mercaturæ operam dabant, dicere ſolerent: *Mauroceno præfecturam tenente, ne avem*
1650. *quidem mari cerni*. Inde quinqueremibus præfectus eſt; in qua poteſtate fortitudinis cujuſdam inuſitatæ ſigna dedit. Erant claſſes duæ, Turcarum ac Venetorum, inter Paron & Naxum inſulas; quarum prior triremes habuit tres & quinquaginta; quinqueremes ſex; formæ majoris naves quinquaginta quinque. Longe autem minor copia fuit poſteriori. In ea enim naves numeratæ ſunt duodetriginta; triremes viginti tres;
1651. par fuit numerus quinqueremium. Prœlium, utriſque volentibus, initum eſt; acriterque utrinque ad multas horas certatum; in quo prœ-

lio

Digitized by Google

lio incredibilis quædam varietas fortunæ animadverſa eſt; noſtris modo, modo barbaris victoribus. Sed victi hi poſtremo virtute Imperatoris. Eaque in re magni eſt opera æſtimata Dominici Diedi, Lazari ac Thomæ Mocenici, Laurentii Baduarii, Hieronymi Battaleæ. Sed pugnam maxime, fortunamque Reipublicæ nobilitavit factum Mauroceni memorabile, quod tota Græcia, atque Italia celebratum eſt. Ita enim cum hoſtium prætoria is conflixit quinqueremi ſua, ut non modo navim ipſam eximiæ cujuſdam magnitudinis, ſed Muſtaphum etiam vivum ceperit, ducem hoſtium, qui ea vehebatur, trucem hominem, ac ferum; qui annis ante aliquot religionem noſtram impie abjurarat. Quod incredibile iis viſum eſt, qui norant Muſtaphum. Is enim virtute pollens, vique animi, Forum Julium, quæ illi patria contigerat; quaſi exſeri iis finibus, prodique illa nequaquam poſſent; ſacra Chriſtiana, optimam Rempublicam, Natalem patrem, affines, cognatos intrepide aſpernatus; ad Turcas, eorumque initia ac myſteria tranſiit; a quibus deinde eſt Muſtaphus appellatus, cum antea Nicolaus diceretur. Inclaruit exinde apud eos, 1651.

cum

Digitized by Google

1651. cum faceret piraticam, multis facinoribus, quæ alias poſt alias ei peperere poteſtates, in quibus vincere, nunquam vinci conſuevit; ut barbari pluſquam mortalem eum arbitrarentur. Hiſque factum eſt, ut poſtremo ei a Turca navium præfectura ſumma deferretur; eique ab Rege digredienti, Rex ipſe, fauſta ac felicia omnia comprecatus, dixiſſe fertur: *Si viciſſet, victor eſſet*. Quod tamen ſecus accidit. Victus eſt enim turpiter, captuſque, uti dictum eſt; ac Venetias miſſus, in carcerem, qui Putei appellantur, vinctus catenis duabus, conjicitur; ibique dignum moribus, factiſque ſuis exitum invenit. Atque ob eas res læti Patres, ſupplicationem decrevere; neque ita poſt multo Senatuſconſultum in hanc ſententiam factum eſt, uti, lege neglecta annaria, Venetis patriciis, de quorum virtute Mocenicus Imperator ad Senatum ſcripſiſſet, honores capere liceret. Litteræque deinde a Senatu ad Maurocenum miſſæ, quarum hæc fuit ſumma:

Senatus intelligit, victoriæ laudem partem magnam virtuti tuæ deberi; teque maxime hoc nomine laudat; ac tecum de re utraque gratulatur. Nobis ob ea carus es. Senties pro meritis reipſa publicam benignitatem.

Se-

Digitized by Google

Senatus judicio ornatus ; ad hoc Imperatoris , & Claſſis univerſæ commendatione , alacrior ad res gerendas factus eſt . Sed profecto fortuna iniqua paullo poſt , ut in cæteris ludit magnis viris, luſitque, & ludet ſemper mobilitate ſua, ita etiam in hoc partes ſuas exercuit. Namque victoria parta, de qua ſupra demonſtratum eſt, cum conſilia ab Imperatore frequentius haberentur ; in iiſque quæreretur, quonam maxime pacto ea uti, quidve tum primum fieri, placeret ; Maurocenus cum paucis in ſententia dicenda ab Imperatore, ac reliquis diſſenſit. Quamobrem illi iratus factus eſt; auctæque mox iræ ſunt. Hoc enim crimine compellabatur, quod in ſermonibus dicta, factaque carperet Imperatoris. Itaque ſevere admodum de ea re quæſitum eſt; tabulæ confectæ; teſtes interrogati. Eoque nomine Aloyſius a conſiliis dies aliquot Maurocenum removit; aditu etiam congreſſuque ſuo; adhæc exire eum vetuit quinqueremi ſua; in qua dies quadraginta fuit. Quæ cito tamen evanuerunt. Namque, uti cunctis Mauroceni virtus nota erat, ita brevi apparuit de linguæ moderatione, ac temperantia. Qua re cognita, tabulis iiſdem publice laudatur, qui- 1651.

bus

1651. bus de crimine quæſitum erat ; eademque de cauſſa ei amicior Imperator ſit. De ea re tamen Senatus, cum quæ acta forent, nondum reſciſſet, ad Leonardum Foſcolum, qui Aloyſio ſucceſſerat, litteras dedit, quibus imperatum eſt, uti præfecturæ redderetur; quarum ſententia hæc fuit:

Patribus moleſta fuere, quæ de Imperatore, ac Præfecto ſcripta ſunt; eaque nollent contigiſſe. Spem tamen de Imperatore Senatus habet; ac rem compoſitam prius exiſtimat, quam provincia deceſſerit. Id ſi factum non eſt; neque eſt reddita præfectura; continuo reddatur.

Neque ita poſt multo ad Maurocenum dedit, ubi reſciit; quibus de hoc ipſo gratulatur; hortaturque, ut in Republica adminiſtranda idem ſit, qui adhuc fuerit.

V. In quo tamen munere diutius non per-
1652. manſit. Præfectus enim Claſſis creatus eſt. Erat tum tenui Maurocenus valetudine, ac propemodum afflicta, cum litteræ de ea re redditæ ab Senatu illi ſunt; quo tempore, ut ejus curandæ cauſſa, ſibi liceret in Urbem redire, petere a Patribus, in animo erat. Sed, litteris acceptis, Senatus voluntatem valetudini antetulit. In Claſſe remanſit; præfecturam delatam

iniit;

iniit; eaque inita, nihil quieti, aut otio relinquendum exiſtimavit. Continuo igitur operam dedit, ut hoſtes conſectando, & mare ſuis tutum redderet, & illis terrorem late faceret. Primum biremem barbarorum cepit; ſtatimque ad Chium Cypriam triremem; qua Turca vehi conſuevit, qui Cypro præerat; mox inter Paron, & Naxum inſulas naves tres, frumento onuſtas. Pagaſis poſtremo, & Caſſandreæ minitatus eſt; eoque loca illa adegit, ut tributa haud exigua Reipublicæ penderent. 1652.

Corcyram deinde trajecit, ut naves aliquot reficeret. Cujus adventus & inſulæ ſaluti fuit, & Reipublicæ utilis. Namque paullo ante inter nobilitatem, & ruſticam plebem turbæ, iræque maximæ ortæ erant, quibus ſedandis magiſtratuum, qui urbi præerant, imperia non ſatis valebant. Eaque cum animadverteret Maurocenus; ſimul intelligeret, exitio urbi fore; nil moratus, inſulam juſſit triremes aliquot circumvehere; nempe eo conſilio, ut elabendi ſpes cunctis præriperetur. Deinde nequa navigia eo appellerent, cavit. Quæ poſtquam celerrime facta ſunt; continuo, quæ fieri ab utriſque placeret, edixit; ſimul minitatur, ſe copias urbe

1652. educturum, niſi dicto audiens ſibi plebs foret. Eaque cum exiſſent celeri rumore, omnium animi ſunt perterrefacti. Facile enim intelligebant, eum eſſe Maurocenum, qui callide cogitaret; quæque cogitaſſet, ſine mora perficere auderet. Imperata itaque faciunt; eoque pacto inſulæ tranquillitas reddita eſt. Illud quærentibus, cum res componeretur, quos ſervarent legis veluti terminos; plebe exaratos contendente; reſpondit: *Eos requiri placere, quos patrius mos pegerit; iiſque parere. Eo præterea adjici velle: Ejus caput, qui contra faxit, ſacrum ſanciri*. Neu plebs ejuſmodi talia aliquando, multitudine freta, facere auderet; eorum alios inſula expulit; alios in naves compulit, ut cum munia alia, tum vero maxime loca remigum pleraque ſuppleret, quorum in Claſſe magna erat penuria. Eaque litteris Mauroceni cum Senatus cognoviſſet, multimodis adprobavit, laudavitque. Rebus autem in hunc modum compoſitis; navibuſque, quarum cauſſa Corcyram venerat, celerrime refectis, inde deceſſit. Quo tempore a prædonibus maritimis Zacynthii ac Cephalenii terra, marique vexabantur. Nemini in acta eſſe licuit; aut uſquam peregre exire. Sæpe

ca-

captæ illorum naviculæ: abacta pecora: incenſæ 1652. villæ: vaſtati agri: viri ac mulieres abrepti in ſervitutem. Itaque Mauroceno, ad Claſſem feſtinanti, obviam fiunt; ſuppliciter orantes, ut ſibi miſeris opem ferret. Iſque fortunas illorum, & calamitates miſeratus, multis ſolari, benigneque polliceri. Mox, nulla interpoſita mora, circumvehit, excurrit, quærit; matureque ſane illorum aliquot reperit: adgreditur: capit biremem cum phaſelo. Audit deinde ad Nicopolim alios agitare; atque in eo eſſe, ut prædatum exeant. Continuo eo proficiſcitur. Ac nequis rumor ad eos perveniret, noctu navigat; ac mane quidem ante lucem nihil ſuſpicantes magna vi adoritur; eoſque partem maximam concidit; reliquos in fugam vertit. Quodque ad famam fuit illi glorioſum, latronum naves omnes cepit, quæ ſeptem fuere numero; & ducem prædonum ipſum, nomine Landechum, qui tot annos inſulis atque urbibus terrori fuerat, ac formidini. Quæ poſtquam Venetiis celeri rumore, ac litteris multorum nuntiata ſunt, favorem ingentem ei peperere. Magni conſilii virum, fortitudinis inuſitatæ, impigrum, prudentem, catum, cunctis locis appellabant: di-

1652. gnum, cui ſumma rerum, Reſque omnis publica crederetur. Sed illa tamen Maurocenum, hominem laudis non cupidiſſimum, minime inflarunt; quod vitio tamen humani ingenii plerunque uſuvenit. Namque hoc tenebat, invidiam fere gloriam ſequi; inde etiam, ex malefica parente, pleraque oriri falſa, vana, incredibilia; non raro quoque exitii plena, fideique ac fraudis malæ, veluti prodigia ac monſtra. Cura itaque ac diligentia quadam majore in rebus gerendis eſſe cœpit; ut nihil, niſi diu, multumque meditatus diceret, aut faceret. Indeque ex eo tempore res duas cariores habuit, laborem ac diligentiam: eaſque comites fortiſſimas ac fidiſſimas appellabat. Maria, ſituſque regionum uti calleret, impenſiorem operam dedit; utique conſilia hoſtium cognoſceret, & occuparet. Qua in re periculo quoque didicit, præceptum illud veriſſimum eſſe: *Nihil in bello contemni oportere: veriſſimeque dictum a veteribus: Agendi opportunitatem cum pernicie plerunque dimitti*.

1653. Atque ego accepi, ſæpe Maurocenum hæc in cœna commemoraſſe; queſtumque eſſe cum amiciſſimis, ab his, qui Claſſi præerant, ſæpius hoc nomine peccatum eſſe; peccarique in dies magis.

gis. Idque tum maxime accidit, cum de hoſtium claſſe perſequenda, quæ Rhodum ſe receperat; quæque in ſummo timore erat, quæſitum eſt. Namque Maurocenus, in Conſilio de ea re interrogatus, cenſuit, non longe ab inſula naves aliquot habendas; certoſque in inſulam homines mittendos, per quos conſilia illorum cognoſcerentur. Idque niſi fieret, denuntiabat, omnino futurum, ut barbari dilaberentur. Quæ tamen ſententia a cæteris omnibus, a quibus, veluti per ſaturam, res tanta quærebatur, rejecta eſt. Itaque poſt paullo, noſtris imprudentibus, dilapſi illi ſunt. Quam perniciem altera poſt paullo conſecuta eſt. Oppidum enim barbari cepere, cui nomen Pœcilaſio. De qua re, litteris ad Senatum miſſis, vehementer queſtus eſt, quarum hæc quoque ſumma fuit: *Se, cum videret, in fuga hoſtes eſſe, plurimumque timere; in ea ſententia fuiſſe; pluribuſque in Conſilio contendiſſe, ut prope Rhodum vigiliæ eſſent aliquæ Venetarum navium: Rhodi etiam cati homines, occultique, qui ſedulo agerent; quæque in animo hoſtes haberent, cognoſcerent; rerumque omnium Imperatorem certiorem facerent. Id tamen cæteris, qui affuiſſent, minus placuiſſe. Atque utinam*, inquit, 1653.

pla-

Digitized by Google

1653. *placuiſſet. Neque enim barbari inſula dilapſi eſſent; neque, ut audio, captum eſſet Pæcilaſium. Deinceps majore labore, multoque tempore, quarendi nobis illi erunt.* Quæ utique Patribus moleſtiam ingentem attulere; pluribuſque in Curia dilaudatus Maurocenus.

VI. Interea Foſcolus Imperator eo morbo implicitus eſt, quem quartanam appellant. Cum appareret, eum diutinum fore, Maurocenum ad ſe vocat; primumque illi Claſſem commendat; deinde orat, uti, ſe ægroto, Epidaurus oppugnetur. Id enim utile, ſi proſpere ceſſiſſet, ad multas res exiſtimabat. Iſque deinde in Cretam, valitudinis curandæ cauſſa, proficiſcitur. Quæ fuit navigatio moleſtiſſima. Diu enim ventis, multumque jactatus eſt, & maris æſtu, quem ferre non poterat. Itaque Maurocenus ad Epidaurum omni ſtudio animum convertit. Ea eſt urbs magna Peloponneſi, in rupe ſita, eademque celſa, quam mare circumluit. Fame una capi poſſe, credebatur; famaque erat, frumenti inopia diſtineri. Eo igitur Maurocenus fert. Militem exponit; pontem, qua jungitur inſula continenti, primum interſcindit. Deinde terra, ac mari oppidum aggreditur. Prœlia ſecunda

Digitized by Google

da cum barbaris aliquot facit. In acri obſidio- 1653.
ne habet: propugnaculum, uſu operaque eximium, capit, cui inerant tormenta duo & viginti; inque his ænea quattuordecim. Quæ vehementer barbaros perterruere. Sed, cum jam audacius operi inſtaret, ſenſit, Epidaurios ea non laborare annona, de qua ſupra demonſtratum eſt; diutiuſque, quam creditum erat, in opere verſandum. Conſilium itaque oppugnandi abjecit: litteræque de re tota ejus ad Senatum inventæ ſunt, quarum hæc fere fuit ſententia: *Viſum Foſcolo Imperatori, Epidaurum Limæram oppugnari. Seque negotio præpoſitum; ac ſtatim quidem cum Claſſe eo profectum; interciſoque ponte, militem expoſitum; eaque in re Schotti operam mirificam fuiſſe. Eaque cum fierent, libuiſſe militum, ducumque ſingularem virtutem, & incredibile quoddam pugnandi ſtudium animadvertere. Detur,* inquit, *hoc patriæ felicitati, eorumque laudibus, qui ei adaugendæ, atque ſervandæ operam dant. Neminem inventum eſſe, ne ex his quidem, qui lixæ, & calones forent, qui non cominus manu cernere cum barbaris avidius cuperet; qui non arderet; qui non oris, aut reliqui corporis aliquod dehoneſtamentum optaret; aut etiam mortem ipſam pro illa occumbere; ſiquidem oporteret.*

1653. *teret*. Quo loco multimodis cum Patribus, & Republica univerſa gratulatus eſt; nominaque aliquot recitavit. Addere deinde: *X. Kalendas Septembres bene mane militem expoſitum; tum ſub veſperam ejus diei, magno facto in urbem impetu, magnum captum propugnaculum, fruſtra, qui in arce erant, reſiſtentibus. Tormenta eximiæ magnitudinis quattuordecim in illo inventa; eaque in naves, tribus conſecutis noctibus, importata. Deinde comperiſſe, annona plurimum, qui intus forent, abundare, cæteriſque rebus, quæ bello utiles ſint; eaque de cauſſa minus ſibi in præſens oppugnationem placere.* Patribus
1654. ea omnia grata fuere, quæ acceperunt de oppugnatione; hujuſque operam, & conſilium Imperatoris laudant; ad eam cohortantur. De qua re Senatus verba hæc nos invenimus:

Læta ac fauſta omnia de te ſibi Reſpublica pollicetur. Strenue itaque agito: cœpta perficito; Claſſem, ut facis, diligentiſſime tuere; eaque, ubi res poſtulat, utere; quod fiat commodo, atque ex uſu Reipublicæ.

Menſes duos in obſidione urbem habuit; quam deinde deſeruit, annonæ cauſſa, uti ſupra demonſtratum eſt, autumnique augeſcentis; quo tempore, tutum non erat, aperto mari diutius conſiſtere. Igitur ad Imperatorem rediit, apud

quem

Digitized by Google

quem crebra habita conſilia urbis Cydonis per 1654.
dolum occupandæ; quam ſpem illi Cydonii aluerant. Graviter in Conſilio acta, ac diſputata res eſt. Denique convenit, uti fraude, vel virtute caperetur. Biremibus, an vero triremibus uterentur, vehementer dubitatum. Maurocenus biremibus, cæteri omnes triremibus rem tentandam cenſuere. Quo factum eſt, ut diu anceps conſilium fuerit; reſque differretur. Quod Mauroceno vehementer diſplicuit. Atque ego comperi, ea in re dolo pleraque facta eſſe, dictaque ab his, quorum plerunque eſt ingenium, conſultando ac prolatando ut tempus terant; illaque amittant, quæ tum maxime, dum conſulunt, velle ſeſe adipiſci profitentur. Eaque juvere quorumdam Græculorum artes, voculæque, plurima dictitantium, quibus tum agi, non agi rem oportere in ſermonibus prædicabant. Ac jam tum pluribus invidiæ fuit virtus Mauroceni, atque eximia ſollertia, quibus præ cæteris, gerendo & adminiſtrando, exſplendeſcebat. Sed illa tamen his initiis minime ſe erexit; minimeque nocuit; cunctis mirantibus facinora ejus pulcherrima; eaque fruſtra cupientibus, a ſe potius, quam ab illo edi; Remque-

D pu-

1654. publicam ſalvam, atque auctam ſua magis, quam illius opera. Sed eſt hoc vitium humanæ gentis, uno vitio minus vitioſæ. Sed eo revertamur. Diem diffindi, Mauroceno minime placuit. Homo militaris, magnique utique animi, in ea hæreſi perpetuo fuit, ut naviter agendo, atque audendo, cuncta proſpere cederent; idque prædicaret: hoc præterea, celeritate ac diligentia omnia vinci. Ejuſque totius rei conſilium ſuum Patribus explicaſſe in epiſtola quadam invenimus; cujus hæc fuit ſumma:

Conſilium habitum ab Imperatore, de Cydone, dolo capienda. Atque in ea re quidem aperuiſſe, Cydonios favere omnino, & cupere; pluribuſque polliceri, Venetis irrumpentibus, auxilio fore. Eo conveniſſe, uti caperetur; ſed triremibus, quod cæteris; an biremibus, quod ſibi placeret; minime conveniſſe.

Addit deinde:

Sibi biremes ea ratione maxime probatas, ſi tamen triremes aliquot, curſu velociſſima, quam fieri id poſſet, occultiſſime, ſequerentur.

Hæc poſtremo:

Eundi ſpecies, inquit, *hæc mihi idonea maxime viſa eſt, ſi veluti Alexandria, biremes advenientes, data a Cydoniis die, Cydonem navigarent; ea arte,*

ut,

ut, quæ ſunt loca prope Oppidum militibus exponendis 1654.
accommodata, ea occuparentur; tantamque hanc rem docui, ad mille homines conficere poſſe; ſiquidem Cydonii fidem præſtarent. Sed res in alium diem rejecta eſt. Ego vero periculo ipſo didici, cunctando ac prolatando, opportunitates maximas corrumpi.

Sed is poſt paullo, de Conſilii ſententia, Rhodum profectus eſt, ut remiges ſuppleret, quorum in Claſſe magna inopia erat. Novem ei naves triremes ad hoc dantur; dictaque dies, ante quam diem redeat; de qua re, litteris ad Senatum datis, queſtus eſt; aliis item ad Magiſtratus, ac neceſſarios: quod hieme aſpera naviganti, ventiſque forte reflantibus, facile poſſet evenire, ut fruſtra navigaret. Sed in hoc tamen ſumma illius modeſtia fuit. Dicto continuo audiens Imperatori fuit; brevique Rhodum pervenit. Remiges continuo ducentos quinquaginta novem inde abripit; naves barbarorum ſeptem capit; naviculas item aliquot; indeque tranſgreditur Pathmum inſulam, Divi exſilio claram; ibique magnum incendit frumenti numerum, aliarumque rerum, quas Turcæ intulerant navibus quindecim inuſitatæ magnitudinis. Quibus celerrime perfectis, ante diem, uti præce-

Digitized by Google

1654. ptum erat, ad Claſſem rediit; ingentique militum gratulatione exceptus eſt; publiceque mox ab Imperatore collaudatus; neque ita poſt multo hujuſcemodi litteris a Patribus:

Senatus, quod fortis es in rebus gerendis, atque adminiſtrandis; quod Reipublicæ multimodis prodes; illique es decori, & ornamento; tecum gratulatur; teque laudat ore pleniore. Rhodum ſumma hyeme navigaſti; brevique facinora pleraque geſſiſti, quæ ſunt apprime utilia, atque honeſta Civitati; quorum nomine te his litteris, ut memoria poſteris prodatur; cæteriſque ſis exemplo ad imitandum, publice commendat.

Claſſis deinde Æginam navigavit; quo tempore viſum eſt Imperatori, naves aliquot triremes oras continentis circumvehere; eoque mittitur Maurocenus. Naves quinque ei dantur. Sedulo obit; obeunti nuntii venere, onerarias plures barbarorum in portu eſſe, qui Leonum dicitur; in eo eſſe quoque, ut ſolverent, eo conſilio, ut magnum frumenti numerum Cydonem comportarent. Eo itaque ſtatim navigat; ac nihil opinantes opprimit. Novem capit; unam deprimit. Tres deinde poſtridie ejus diei, quo hæc geſta ſunt, cum in via offendiſſet, incendit. Interim Aloyſius Moceni-

cus

Digitized by Google

cus ſecundum fit Imperator, & Foſcolo ſuccedit. Rurſus traditum illi imperium, virtutum maximarum opinione, quibus inclaruit; quibuſque domi ac foris Reipublicæ maxime profuit. Iſque, cum ad Claſſem veniſſet, lætiſſimis omnium animis exceptus eſt. Auxitque militum lætitiam commeatus vis ingens; præterea copiarum, quas una ſecum Aloyſius adduxerat. Imperii vero initia ſtatim nobilitavit pugna ad Tenum, qua biduum fere Veneti cum barbaris acriter conflixere. Conſilium enim Turcarum fuit, inſula potiri. Quod ſi fieret, uſui plurimum ſibi id fore exiſtimarunt. Cum claſſe itaque ingenti eo venere; ſtatimque manipulos aliquot militum expoſuerunt, a quibus vis magna pecoris abacta; terrorque late cultoribus injectus. Cujus rei celeri rumore dilato, noſtri cum omni Claſſe illo proficiſcuntur; quo barbaros inde ejicerent, atque arcerent; prœliumque committerent. Sed ægre tum a noſtris navigatum eſt, ventis, veluti data opera, perpetuo reflantibus. Cum ab inſula haud procul eſſent; & Turcæ id animadvertiſſent; ſpes his injecta eſt, obtineri inſulam poſſe; & Claſſem diſjici Venetorum. Namque & ſuorum 1654.

nu-

Digitized by Google

1654. numero fidebant, & ventorum vi, quorum utebantur flatu proſpero. Magno igitur impetu in eos feruntur. Acriterque utrinque certatum eſt ad multas horas; neutram in partem ſe fortuna vertente. Id cum barbari animadverterent; ſeque deinde flatu deſeri; terga vertere. Noſtri inſequi, illi fugere. Qua in re Mauroceni virtus plurimum eluxit. Prætoria vehebatur; quam tardiorem ad hoſtes perſequendos cum intelligeret, inde egreditur. Navim triremem ſuam, de qua ſupra dictum eſt, conſcendit; magnaque animi vi fugientes perſequitur. Claſſem extremam aſſecutus, multimodis vexat. Nox interea prœlium diremit. Sed mane quidem, cum vix luceret, ad pugnam redit. Hoſtis enim haud procul aberat; & claſſis quidem adverſis ventis, ac Venetis inſequentibus exterrita, quam maxime poterat, fugiebat. Velis tamen, remiſque adjutus Maurocenus, naves tres barbarorum adipiſcitur; in eas impetum facit; crebriſque ictibus tormentorum divellit a claſſe reliqua, invicem deinde. Prætoria in his fuit, qua navium præfectus, qui Turcas Tripoli adjutum venerat, vehebatur. Hanc magna vi adoritur; pugnat horas binas.

Cum

Digitized by Google

Cum in eo eſſet, ut potiretur, repente trire- 1654.
mes tres hoſtium auxilio venere; quibus illa calamitati ſubducitur. Reliquæ duæ, quamquam celeri fuga ſe ex prœlio proripuiſſent, facile tamen capi potuiſſent; ſiquidem Mauroceno, hoc ſæpius petenti, binæ a noſtris quinqueremes ſubſidio miſſæ forent. Quæ diu animo tulit iniquiſſimo; datiſque litteris ad Senatum vehementer queſtus eſt. Nonnulli fortaſſe erunt, qui ſic exiſtiment, acta nos agere, ſi narratam rem rurſus narremus; & epiſtola communiamus. Sed nimium ſunt homines ingenio faſtidienti; qui ſi mimum fabulam ipſi recitent; vel ſi ab aliquo gregali Prætis Curiana, vel centies, prædicetur, non aures modo noſtras poſtulant, ſed os, & manus quoque; & ſiquid præterea dignum putent, quod in audiendo, ac plaudendo conſumatur. Nobis fortaſſis iniquiores erunt. Sed iis tamen, ſi libuerit, tranſgredi licebit; & exigua illa, uti ſcopulum, vitare. Nobis afferre placuit. Hæc igitur, ut eo redeamus, in litteris ſunt:

XI. Kalendas Quinctiles Theram venimus; quo loco in conſpectu hoſtium fuimus. Congredimur, neque ita poſt multo; diuque acriter utrinque pugnatum eſt. Ac ven-

tis

1654. *tis barbari, ſuorumque multitudine maxime freti, victoria fidebant; cum repente ſunt illi commutati. Idque ubi factum eſt, ſtatim terga vertere. Noſtri fugientes inſequuntur. Quo tempore cum in Imperatoria ipſe eſſem; eamdemque cernerem tardiorem eſſe ad perſequendum, dimiſi; celeriterque navim triremem, quam ipſe ornaram, inſcendi; illaque in hoſtes invectus ſum. Naves aliquot quinqueremes ſunt conſecutæ, quæ nobis auxilio forent; Barbarus item valentiſſima triremi ſua. Quibus omnibus hoſtium claſſis eſt plurimum divexata. Poſtridie ejus diei rurſus inſequimur; mihique id contigit, ut triremi una mea naves tres hoſtium male haberem; eaſque multimodis vexatas divellerem a claſſe reliqua; aliamque mox ab alia. Navis in his fuit, qua præfectus utebatur, earum navium, quæ Tripoli auxilio venerant. Cum hac horas duas decertavi. Jamque in ſpem certam veneram capiundi, cum interea triremes tres ei ſubſidio fuere, quibus illa mihi, veluti de manibus erepta eſt. Sequi tamen fugientes non deſtiti; iiſque quoad licuit pluribus nocere. Naves vero reliquæ duæ, quæ ſeſe, dum mihi res eſſet cum Prætoria, in fugam dederant, eæ quidem capi facile potuiſſent; ſiquidem adjutum binæ quinqueremes veniſſent; mihique flagitanti, obſecranti ſæpius, præbere aures noſtri voluiſſent.*

Sed

Digitized by Google

Sed quemadmodum ſæpe alias, ita hac in re graviſ- 1654.
ſime peccatum eſt. Nunc quo loco hoſtis agat: quidque in animo habeat, plane ignoramus; quamquam rumores alios alii ferant. Nam Rhodum plerique: quidam Chium navigaſſe ferunt. Ego vero hoc ſedulo agam, ut certi aliquid ſciam; voſque continuo certiores faciam. Tenus nunc metu libera, agit læta, quæ fuerat ante pugnam in magno timore. Nam barbari, militum aliquot manipulis expoſitis, loca incenderant; ac magnam vim pecoris abegerant; quibus in tempore nos ſubſidio venimus; Tenumque barbarorum faucibus eripuimus; & pulcre adhuc retinemus. Quæ grata Patribus plurimum fuere.

VII. Interea Aloyſius Imperator moritur. Patres, illius morte cognita, Hieronymum Fuſcarenum, Ædis D. Marci Procuratorem, in ejus locum ſufficiunt. Donec Imperator ad Claſſem veniret, ejus imperium Maurocenus tenuit. Quo tempore pugna ad Abydum facta eſt, magna quidem, ac memorabilis, cui Maurocenus interfuit. Poſt id prœlium, adverſus Æginetas ire ſtatuit. Ea eſt inſula in ſinu Sa- 1655.
ronico, inter Epidaurum Peloponneſi, & Piræeum, Atticæ portum, ſita. Iniqui, infeſtique Venetis erant; Turcæ palam ſtudebant. Roga-

1655. ti tributum pendere, recuſabant. Superbe etiam, & contumelioſe reſponderant. Quibus factum eſt, ut Maurocenus de ſumenda pœna conſtitueret. In eos itaque fert; magnoque impetu adoritur. Adjutuſque opera eximia Viarii, ac Borri, triduo inſula potitur. Arcem, media urbe ſitam, evertit; navigia ad quadraginta, quæ in portu erant, incendit: trecentos Æginetas ad remum dat. Quæ poſtquam Venetiis nuntiata ſunt, magnæ lætitiæ Civitati fuere; quæ jamdiu de Æginetis male cogitarat; miruſque favor de ea re fuit Mauroceni. Exſtant Patrum litteræ, in hanc ſententiam ad eum ſcriptæ:

Quæ de Ægina acta a te ſunt, vehementer Senatus probat: pulcrumque cenſet, de nequitia ac perfidia pœnam ſumi; teque eo nomine maxime laudat.

Exſtant quoque ad Fuſcarenum Imperatorem:

De Mauroceno præclara perpetuo nuntiantur. Jure Patribus, meritoque carus eſt. Quæ de Ægina egit, egregia ac magna ſunt; Claſſi apprime utilia, ac læta Civitati. Tu talem virum magni facito, pro eo ac meretur; noſtroque nomine publice laudabis.

Hiſque permoti Creticam legationem cunctis ſuffragiis detulere. Interim Claſſi panis nauti-

cus

Digitized by Google

cus deeſſe cœpit, Teno, Candiæ, locisque a- 1655.
liis, uno eodemque fere tempore. Acriter petebatur; nullaque tum, ut inopiæ conſuleretur, via aut ratio ſuppetebat; neu ſeditio aliqua oriretur, periculum erat. Cunctis igitur metu trepidis, Maurocenus nil metuens, rem aſperam aggreditur; credo ego, Diis fretus. Nam contra tantas difficultates conſilio ſatis providere non poterat. Pagaſæ erant, in quibus panis magna vis eſſe dicebatur; eoque hoſtes eam vim, a noſtris nihil timentes, coëgiſſe. Igitur Maurocenus, id quod erat, ratus, ſi ſubito adgrederetur, capi Pagaſas, non magno admodum negotio, poſſe, ita egit. Naves eo dirigi juſſit. Barbari improviſo ejus adventu territi, acrique oppugnatione, quæ parabatur; cum vim poſſent propulſare, irritamque facere; ſeſe dedidere. Panis numerus quidam incredibilis inventus eſt; tormenta quoque plurima eximiæ magnitudinis; eaque avecta omnia; abrepti item in ſervitutem plurimi, atque ad remum dati. Quæ Patribus incredibilem quamdam lætitiam peperere. Namque metus ingens eos ceperat, poſtquam Imperatoris litteris de inopia cognoverant; quoque in diſcrimine res foret.

1655. Litteras igitur ad Imperatorem dant, quibus Maurocenum multis laudibus ornant; idque affirmant, hominem his temporibus a Diis datum, quo Reſpublica maxime niteretur. Nobilitas reliqua; plebs item vocibus paſſim in cœlum ferre: barbari pluſquam mortalem credere ac timere. Poſtremo noſtri milites exiſtimare, illi aut eſſe mentem divinam, aut Deorum nutu cuncta portendi.

VIII. Interea accidit, ut Fuſcarenus Imperator, vix ad Andrum inſulam accepto imperio, moreretur. Lege itaque, ac more Maurocenus Claſſis univerſæ poteſtatem rurſus tenuit; dum, qui præeſſet, ſummamque teneret, mitteretur. Porro cum vereretur, ne auxilia, quæ Zacynthi erant, aliiſque in locis, Fuſcareno mortuo, dilaberentur; litteras ad eos ſtatim miſit, qui imperia tenebant, quibus hortatus eſt, ut celerrime ad ſe venirent. Ac tantum abeſt, ut parere, ac venire recuſarint, ut ſine mora ulla ad eum venerint. Quod ante id tempus nunquam accidit, ut ſe ſocii, niſi Imperatoribus, jungerent. Magna enim erat apud eos Mauroceni auctoritas, nomen nobile, laus rei militaris maxima. Conſilia cum his continuo agi-

Digitized by Google

agitantur. Quid potiſſimum, dum Imperator 1655.
mitteretur, fieri placeret, dies aliquot quæſitum. Denique e re maxime viſum eſt, uti continuo cuncti Seſtum adnavigent, Abydumque; nempe eo conſilio, ut antecaperent; hoſtique adeſſent opportuni. Adnavigatur. Eoque cum perveniſſent; aquæ inopia Claſſis tentari cœpit. Triremis itaque in loca vicina mittitur, unde hoſtis abeſſe credebatur, aquatum. Dum otioſe, metuque omni liberi, milites aquantur; barbari, qui ſe ſilvis proximis abdiderant, repente in eos impetum faciunt. Manus utrinque conſeritur. Eodemque tempore, ventorum ingenti vi ſubito coorta, evenit, ut triremis ipſa in terram ferretur. Hanc quoque, magnis editis clamoribus, iidem adoriuntur. Cum in eo eſſent, uti potirentur, Maurocenus, a ſuis monitus, accurrit. Cujus adventu paullulum ſunt hoſtes territi, ac retardati. Sed mox tamen; freti illi ſuorum ingenti multitudine, majore quadam vi ad pugnam rediere. Idque cum cerneret Maurocenus, & navem capi: *Abſit*, inquit, *hoc dedecus, ut nobis inſpectantibus, triremi noſtra barbari potiantur*. Eaque ubi dixit, in littus proſiluit; ac diſtricto pugione in eos irruit.

Hunc

1655. Hunc e veſtigio plurimi ſequuntur; quibus perterrefacti, terga vertunt; ac navis recipitur. Eaque res ad pericula ſubeunda milites accendit; quod intelligerent, ſi res ad manum veniret, ſibi Maurocenum non defuturum. Voceſque identidem illius in Claſſe celebratæ: *Nec me opulenter, milites arcte colam*. Illaque præcepta: *Egomet in agmine; in prælio conſultor idem, & ſocius periculi adero*. Sed eo revertamur. Cum ad fauces Helleſponti Claſſis eſſet Veneta; ibique hoſti imminens, diligenter agitaret, nuntiatum eſt, non tam cito hoſtem inde exiturum; ſimul illorum naves longas viginti ſeptem ſine metu Ægeo navigare. In hos continuo Maurocenus, ne otioſus in anguſtiis ſederet, ire parat; conſiliumque de ea re habet. Eoque, nullo fere diſſentiente, decernitur, ut, Lazaro Mocenico cum parte navium maxima ibidem relicto, cum reliquis Maurocenus proficiſceretur. Iſque vix vela dederat; paullulumque in altum provexerat, cum Turca freto exiit; quocum Lazarus acriter conflixit; eumque ſex horarum ſpatio confecit. Quo facto, magna ſpe tum noſtri eſſe cœpere. Multiſque dictitantibus, ea victoria uti, non frui noſtros o-

por-

portere; remque præclaram aliquam tentandam, magnique facinoris. Conſilium indicitur. De re quæritur: cunctis placuit, Epidaurum rurſus oppugnari, manu arcem, ſituque firmiſſimam; idque magni cujuſdam uſus negotium arbitrabantur, ſi forte caperetur. Id Mauroceno nuntiatur: ſimul Conſilii voluntatem eſſe, ut ipſe oppugnet; reique præſit. Quod priuſquam ageret, Sciathum inſulam, quæ contra Magneſiam, Theſſaliæ promontorium, ſita eſt, aggreditur; eamque cogit ad pendendum tributum. Eo quoque adigit poſtpaullo, magno metu ſeſſoribus injecto, binas inſulas, quæ exiguo ſane intervallo ab Sciatho diſtant, Scopelum ac Peparethum. Inde Epidaurum proficiſcitur: menſes duos, ac dimidium fere in obſidione habet: urget, vexat undique. Barbari contra fortiſſime defendunt. Tum, qui circa erant, accurrunt; opemque ferunt. Prœlia Maurocenus terra, ac mari pleraque ſecunda facit. Poſtremo, infecta re, urbem deſerit; mari plurimum augeſcente; ſociiſque, hiemis cauſſa, quæ jam aderat, domum dilapſis. Priuſquam vero ad ſuos rediret, Megara potiri placuit. Urbs eſt Achajæ, prope ultimo receſſu ſinus Saronici; mille ferme 1655.

paſſus

Digitized by Google

1655. paſſus a mari; medioque ſpatio inter Athenas, & Corinthum. Capere id oppidi tum primum conſtituit, cum comperit, Turcas, Pagaſis everſis, uti Megara; eoque pleraque ad belli uſus, tela, enſes, veſtes, frumentum importare. Eo igitur recta Epidauro cum Claſſe venit; militeſque, nemine reſiſtente, in littus exponit: aciem inſtruit; quæque agant, ſingulos monet; denique magna vi oppugnatum it. Tum vero hoſtes, cum ad mœnia Venetos vident, magno facto impetu portis erumpunt; fretique numero, horas aliquot fortiſſime dimicant. Poſtremo, amiſſis fere ducentis, terga dant. Territi deinde vehementi oppugnatione, oppidum dedunt; ſeque, ſuaque omnia Mauroceni arbitrio permittunt; ex quibus quingentos ad remum dat; cæteros dimittit; horrea incendit; muros disjicit; balliſtas æneas tredecim, in arce inventas, eximiæ cujuſdam magnitudinis avehit.

IX. Quibus omnibus patratis, Candiam proficiſcitur, ut Creticam legationem iniret, quam ei Senatus detulerat, uti ſupra demonſtratum eſt. Claſſem Barbaro Baduario, qui Præfectus in ejus locum creatus erat, rebus omnibus inſtru-

ſtructam, ornatamque tradit; initaque legatione litteras ad Patres hujuſcemodi miſiſſe inveni: *Megara everſa, Candiam continuo cum Claſſe veniſſe; eamque traditam Baduario. Initam deinde legationem, magno ſtudio ac frequentia Civitatis. Tum fore polliceri, ut in eo munere Patriæ utilitatibus impigre deſerviat. Non labores, non vulnera, non mortem ipſam denique impedimento futura, quominus ejus commoda, & honorem diligenter quærat.* 1655. 1656.

Illa mox gravia addere:

Urbem circuiſſe: eamque rebus plurimis egere inventam. Militum numerum exiguum: hoſtium innumerabilem. adhoc annonam non ſatis uberem.

Hæc poſtremo:

Forti animo ac præſenti rebus omnibus affuturum; ac velle denique bene de Republica Patres ſperare.

Senatus deinde Mauroceno præcepit, ut cum Turcarum Imperatore, cui nomen Cuſſeimo, de pace mentionem faceret; eodemque tempore cuncta ad bellum diligentiſſime pararet. Sedulo mandata facit: quæque bello uſui, aut neceſſaria forent operam dat, ut ſint in promtu. De pace ejus in hanc ſententiam litteræ fuere:

Patres Conſcripti.

Quod juſſiſtis, ut cum Turca mentionem facerem pa-

1656. *cis aliquam; eamque Cuſſeimum hortarer, ut cariorem haberet; Creta diſcederet; Cydonem nobis traderet, vel Rhitymnam; ſedulo in his omnibus voluntati veſtræ parui. Ac primum quidem cum conſultarem, quonam modo ad rem maxime adgrederer, Janum quemdam Cretenſem comperi Cuſſeimo apparere; atque in primis carum eſſe; nobis etiam, etſi ad Turcas defecerit, favere & cupere. Hunc ego per litteras, perque nuntios fidiſſimos monui, uti Optimam Rempublicam feliciorem mallet, quam barbaros. Idque ſi faceret, opes & gloriam inventurum. Quoque per litteras cum hoc Jano ſæpius, quæ vellem, agi liceret; eaque occultiora forent; ſpecies a me quæſita eſt, de captivis redimendis, aut permutandis. Publice itaque de his ſcriptæ litteræ ad Imperatorem; quibus meæ privatim de pace ad Janum additæ; certumque hominem miſi, qui perferret. Iſque a barbaris, ubi ad illos venit, interrogatus eſt, an aliquid de pace afferret; libere ei agere licere. Ex quibus apparet, Cuſſeimum ab ea non abhorrere. Spes itaque mihi injecta eſt; perfici via aliqua rem poſſe. Eæ utraque redditæ ſunt Jano, qui, temporis cauſſa, nihil litterarum reddidit; mandavit tamen, ac de ea re ſæpius eumdem monuit, ut mihi nuntiaret, brevi ſe operam daturum, ut intelligam, commoda Reipublicæ, ac dignitatem ſibi fore*

Cuſſei-

Digitized by Google

Cuſſeimo cariora. Litteræ deinde Jani, & Cuſſeimi al- 1656.
latæ mihi ſunt, quibus de pace ſpes affirmatur, quas continuo ad vos quoque mitto. Cuſſeimus, hac de cauſſa, ſæpius conveniendi poteſtatem facit.

Quæ utique Patribus magnæ lætitiæ fuere; multiſque verbis ſollertia, ac diligentia Mauroceni in Curia concelebrata.

X. Prœlium atrox interea fit ad fauces Helleſponti, cui præfuit Laurentius Marcellus, inuſitata quadam virtute vir, ad quem, Fuſcareno mortuo, imperium delatum eſt. Eoque Turcarum claſſis, fere omnis, Marcelli virtute, deleta eſt; in quo tamen cecidit Marcellus ipſe, fortiſſime pugnans. Victoria parta, conſilium initur. Quæritur, quid maxime adgrediantur. Cunctis placuit, capi Tenedum. Sita eſt inſula contra Sigæum, Troadis promontorium; eaque duodeviginti millia paſſuum a faucibus diſtat. Frequens cultore, ac frugum ferax eſt; arcemque habet, natura ipſa loci, manuque non ſatis firmam. Eo itaque cunctis viribus noſtri proficiſcuntur: fortiſſime oppugnant. In eo prœlio Alexander Borrus, vir ſtrenuus, vulneratur. Denique die quinti, quam venerant, inſula potiuntur; neque ita poſt multo Lemno, & Samo-

1656. mothracia. Eaque Maurocenus, cum ex Baduarii litteris, quem ſupra præfectum Claſſis creatum oſtendimus; ex nuntiis item accepiſſet; ſimul Baduarium ea re mirifice lætari; multimodis improbavit. Capi enim Cydonem, quam Tenedum malebat; quod ſic exiſtimaret, retineri diu urbem poſſe: inſulam non poſſe; idque deinde evenit. Eoque magis in ſententia hac erat, quod barbaris vehementer territis, capi urbs facile potuiſſet. Itaque, ad Senatum datis litteris, rem palam, pluribuſque reprehendit.

Interea accidit, ut Maurocenus adverſa valitudine diſtineretur, quam labores viginti annorum, quibus perpetuo in Claſſe fuerat, plurimum afflixerant. Ejus itaque reficiendæ gratia, a Patribus per litteras petiit, ut, qui ſuccederet in legatione, brevi mitteretur; ſibique liceret in Patriam redire.

Senatus, ea re magnopere permotus, redeundi poteſtatem facit; exacta tamen æſtate. Cujus voluntate cognita, non parere noluit; manſitque in legatione; diuque deinde coactus eſt Patria abeſſe. Lectus eſt enim Imperator, neque ita poſt multo; quo facto, Claſſe abeſſe ei

non

non licuit. Interim accidit, ut barbari agge- 1657.
rem ad duas urbis partes præaltum jacerent. Quæ res noſtros, qui in urbe erant, vehementer terruit. Prope enim adeſſe videbatur, ut vis afferretur. Eaque re Maurocenus plurimum permotus, capit conſilium audax. Urbe in hoſtes egredi parat. Fortiſſimum quemque deligit ex omni copia, quæ aderat; hiſque manus conflatur mille & ducentorum militum. Hac deinde erumpit; magnoque impetu in barbaros irruit; quos brevi tempore non aggeribus modo, de quibus ſupra dictum eſt, ejicit, ſed caſtris etiam. Qua pugna nihil adhuc eſt nobilius. Nulla enim tam exigua manus tantas opes pepulit.

XI. His rebus geſtis, ac Lazaro Mocenico Imperatore mortuo, Imperator ipſe, habitis comitiis, ſummo Civitatis conſenſu, lectus eſt; eodemque die, Petrus, ejus pater, quod talem filium Reipublicæ dediſſet; quodque de ea, idque ſæpe, factis pluribus egregiis meritus optime ipſe eſſet; ædis Divi Marci Procurator creatus eſt. Quæ quidem utraque IV. Idus Septembris facta inveni. Eaque res, in Græciam ad Claſſem, primum fama ipſa velociore; nunciis

dein-

Digitized by Google

1657. deinde, ac litteris multorum perlata, tantæ lætitiæ fuiſſe dicitur, ut multis diebus pugnæ ludicræ factæ ſint; naveſque decurrerint, more quodam novo; cantuque hilari a militibus univerſis ſit Imperator conſalutatus. Spes enim his injecta eſt, eo imperium tenente, amiſſa recuperari, ac barbarorum arrogantiam infringi poſſe. Erat tum Claſſis clade plurimum comminuta, ac labefactata, quam, Lazaro Imperatore,
1658. Civitas acceperat. Eam igitur omni ſtudio, ut reficeret, Maurocenus animum intendit. Ipſe agere; cæteros hortari; atque ut remige ornaret, nulla mora interpoſita, hoſtium inſulas circumvehit. Neu vis ulla a faucibus impediret barbarorum, Hieronymum Contarenum cum celſioris formæ navibus ad Helleſpontum mittit, qui anguſtias obſideat. Ipſe magna feſtinatione Chalciam proficiſcitur. Ea eſt inſula, quæ prope ab Rhodo abeſt, quæque diu Venetis fuerat infeſta. Hanc itaque, militibus expoſitis, diripit; arcem expugnat; ſeſſores partem maximam ad remum dat. Statim deinde Carpathum petit; quæ fuit illi exitii plena navigatio. Prope enim fuit, ut Claſſis univerſa mergeretur. Nempe atra nebula, principio exilis, repente

ap-

Digitized by Google

apparuit, ubi primum ſolvit. Eaque mox adeo 1658. momento crevit, ut lumine ſublato naves invicem illiderent. Sole deinde occaſo, coorta tempeſtas ſæva Claſſem disjecit. Quo tempore triremes tres diu multumque ſalo jactatæ, hauſtæ poſtremo fluctibus, diſperiere. Ad hæc fortiſſima quinqueremis, ventorum vi pulſa ad Cherſoneſum Cretæ, ibi miſere confringitur. Ei præerat Jacobus Capellius, vir ſtrenuus, multis clarus belli facinoribus; ægreque admodum, qui illa vehebantur, ad terram enavere. Triremis etiam Imperatoria, diu huc illuc mari acta, cum horas fuiſſet aliquot in maximo diſcrimine, ſalva tandem truditur in portum Carpathium. Ferunt, Maurocenum, Claſſem cernentem fere merſam, nullam vocem emiſiſſe indignam viro forti; eodem vultu, eodemque animo fuiſſe, quo antea fuerat; omnibuſque territis, qui una erant in Imperatoria, nequaquam ipſum eſſe territum; quaſique non cum fluctibus, cœcaque undarum vi, ſed cum hoſtibus pugnaret; deque una urbe aliqua, aut oppido decerneret; ſediſſe in puppi; ac, licet amiſſo clavo, nautis, & claſſiariis ordine imperitaſſe, veluti teneret. Eaque res, deinde cognita, mili-

li-

Digitized by Google

1658. litum animos ad fortitudinem magis, magiſque accendit. Multique fuere, qui palam dictitarent, Diis Immortalibus volentibus, calamitatem obtigiſſe, ut qualis Imperatoris animus adverſa fortuna foret, cunctis appareret. Nec defuere, qui prædicarent, de induſtria Imperatoriæ pepercifſe, ut milites intelligerent, hominem Diis carum, fortunamque Reipublicæ illa vehi. Ac tamdiu quidem Maurocenus portu, quem diximus, ſeſe continuit, quoad mare deſæviit. Ubi primum licuit, Aſtypalæam profectus eſt; eoque in loco ſedulam operam dedit, ut, quamcelerrime id fieri poſſet, Claſſem pene fractam reficeret; eamque rebus omnibus inſtrueret, atque ornaret. Quæ cum diligentiſſime agitaret, exiſſe faucibus Cuſſeimum, nuntiatur, cum optimis triremibus quadraginta. Atque hoc quidem ea de cauſſa evenerat, quod Contareno, de quo ſupra demonſtratum eſt, tardior navigatio, ventis perpetuo reflantibus, fuiſſet; neque tenere in tempore, ut magna vi anniteretur, fauces potuiſſet. Statuit igitur Cytheram continuo tranſire, ut inde barbaris, Cydoniam trajicientibus, ſe objiceret; & ſiquidem pugnandi copiam facerent, impigre cum iis decertaret.

XII.

XII. Per idem tempus Venetæ triremes quinque ad eam inſulam ex Illyrico appulere; ad hæc Sociorum duodecim; decem præterea formæ celſioris naves, quas inſigni, egregiaque quadam erga Rempublicam pietate Cardinales aliquot, virique principes Romanæ Civitatis, ære conlato, ornarant. Quæ quidem res noſtris, eo potiſſimum tempore, magnæ lætitiæ fuit. His enim vires haud exiguæ ſunt additæ; clamorque Claſſis perpetuo fuit, ut in hoſtes ſtatim duceretur; quod mirifice ab Imperatore probabatur. Solvi itaque cum juſſiſſet, nuntiatur, Turcarum claſſem ad Chium agitare. Qua re cognita, Chium ne contenderet, an Cydonem, paullisper incertus hæſit. Cydonem vehementer cupiebat, quod tradendæ urbis ſpem jamdiu fecerant Cydoniatæ, ſiquidem appuliſſet. Sed re tamen deliberata, Chium maluit. Nam, victo Cuſſeimo, quem victum iri, ſi ad manus veniret, minime dubitabat; per otium Cydonem capi facile poſſe, arbitrabatur. Cythera igitur profectus, Paron recta venit. Quo in loco, præter opinionem barbaros offendit. Continuo adgreditur. At illi, nova, atque inopinata re perterriti, ſeſe ſtatim fugæ dant; noſtrique magnis 1658.

1658. animis inſequuntur. Fruſtra. Idque ubi Maurocenus animadvertit, perſequi deſtitit; curſumque Delum flectit. Ibi Conſilio advocato, verba multa facit. Ait, ſibi facile eſſe, Cydonem capere, ſiquidem naves admoveantur. Oppidanos vehementer rogare, ac poſtulare; multimodis favere & cupere. Docet deinde rationem rei gerendæ: uti noctu navigia minora aliquot, & triremes tres, tacito remigio, portum invehantur, cum militum manu, qui muros adverſos, partem magnam immunitos, capiant, opem ferentibus oppidanis. Eodemque tempore cohortes quattuor exponantur, quarum ſit præcipua opera, partem averſam urbis ſcalis aggredi. Facile omnes aſſenſere. Sed hæc tamen callide cogitata, ac prudenter proviſa, dementi ratione, Jacobus Cremonvillius, & Franciſcus Villanova, qui pari imperio, ac poteſtate terreſtribus copiis præerant, poſtpaullo corrupere. Sibi enim uterque dum munus depoſcit; & verbis acerbiſſimis contendit; nec alter alteri cedit; res pateſit, quæ erat occultiſſima. Eaque multorum vocibus elata, tandem ad Cuſſeimum, qui ſtabat ad Capharæum Eubœæ, pervenit. Iſque nuntio vehementer permotus, eo advolat;

lat; urbem undique, firmiſſimis præſidiis addi- 1658.
tis, communit. Hominum igitur duorum vanitate Reſpublica plagam accepit. Id cum cerneret Maurocenus; nec dolo rem proceſſiſſe; vi aperta agere conſtituit. Rurſus ad Conſilium refert: ait, ſibi optimum factu videri, ſi Cuſſeimum continuo in portu adgrediantur. Quod minime Bichio placuit. Is ſororis Pontificis Maximi filius erat; navibuſque præerat, quas auxilio Venetis Pontifex miſerat. Neque de re edoceri ullo modo paſſus eſt; biduoque quam relatum eſt, æſtuans, ac feſtinans diſceſſit; atque in Italiam rediit. Ab hoc igitur Imperator deſertus, paulliſper ſecedit; ac, remotis arbitris, per ſe deliberat, quid factu utile ſit. Denique ſibi, ſuiſque fidens, de re ſtatuit, ut ſolus ipſe, ſine auxiliis, ſuſcipiat. Cuncta ſedulo parat; aciem inſtruit; diligens circumit; hortatur paucis; dein recta ad Capharæum. Os obſidet; barbaroſque tres dies ipſos ad pugnam laceſſit. At Cuſſeimus nil moveri; quietus in portu navigare. Interea tempeſtas cooritur, cujus vi Maurocenus ore divellitur; eaque actus, primum ad Cenuſſas, Samum deinde venit; Claron poſtremo appulit, quæ eſt inſula Myrtoi

1658. inter Lerum, & Coum. Ibique militibus expoſitis, arcem aggreditur, quæ natura loci ſatis firma erat; & magnis præſidiis tenebatur. Brevi tamen capit. Eorumque, qui tuebantur, pars in prœlio cæſi; capti reliqui, atque ad remum dati. Indeque poſtpaullo digreſſus, non longe ab inſula, incidit in myoparones tres, & naves quattuor, quæ Cydonem frumentum comportabant. His continuo potitur; quodque exacta æſtas erat, Melon ad hyberna proficiſcitur. Atque hic quidem degenti Imperatori multa in mentem venere, quæ per hiemem expediri facile poſſe, exiſtimabat. Labori atque operæ aſſuetus, otium ferre non poterat. De Abæa igitur ſtatuit, quæ magna urbs eſt, atque opulens Peloponneſi; quam ſi caperet, ad multas res utile arbitrabatur. Conſilio res probatur; quo facto, VI. Kalendas Februarias hibernis decedit; in urbem fert; copias exponit;
1659. Cremonvillium oppugnare jubet. Id poſtquam impigre Cremonvillius feciſſet, barbari, ad mille & ducenti, oppido egreſſi, magno impetu in noſtros irruunt. Cædes fit utrinque. Interea Georgius Cornelius cum equitatu venit; vique ingenti in eos facta, in urbem repulit. Iſque mili-

militum noſtrorum fuit ardor, ut tergis pleri- 1659.
que fugientium inhærentes, una ſimul in oppidum penetrarint. Eoque modo captum, direptumque eſt; ac poſt paullo ſolo æquatum. In eo vis magna vini, atque olei inventa eſt; adhæc tormenta maxima quattuordecim; eaque in naves importata. Frumentum, pecunia, vaſa ænea, atque argentea, ac plurima ſupellex pretioſa, cum primum exiit noſtros adventare, alio fuerant ab oppidanis comportata in loca tuta. Hiſque celerrime patratis, lætitia ingens in Claſſe fuit, pluribus in cœna militibus canentibus, urbem captam nobilem Peloponneſi, & omen factum Imperatori belli Peloponneſii, ac nominis *Peloponneſiaci*; noctequе tota tibiæ auditæ, & pueri ſymphoniaci, voceſque militum diſcurrentium, ac Maurocenum ſalutantium. Eaque Abæa non tam habuit, ut ego quidem arbitror, quam ſumma ſpes de ſummo Imperatore, quæ jam hæſerat militibus, & parta jamdiu de illo opinio; urbiſque titulum, qui in porta fuit, ego inveni, ſaxo inſculptum quadrato quadrantario his verbis:

D. O. M.

Digitized by Google

1659.

D. O. M.

Qvod Abæam Celeriter Ceperit
Ac Dirverit
Franciscvs Mavrocenvs Imperator
Alium item ad portam aliam:
Bono Omine

Claſſem deinde hinc abduxit, & Chium navigavit; quo loco Halyum, claſſis regiæ Præfectum, qui nihil timens, propter agitabat, propemodum oppreſſit. Pugna principio magnis animis utrinque inita; ſed brevi barbari terga vertere; noſtrique diu fortiſſime inſecuti, ſole tandem occidente, agmen noviſſimum adipiſcuntur. Antonius Barbarus, & Hieronymus Piſaurus cum hoc decertant; &, reliquis dilapſis, binas triremes capiunt. Non eſt hoc loco prætereundum factum egregium Mauroceni; ex quo facile apparebit de animi audacia. Agmen noviſſimum, uti dictum eſt, dum noſtri diſtinerent; ipſe longiſſime cum quattuor triremibus a ſuis digreſſus, ut in Halyum fugientem, primamque aciem impetum faceret, evenit, ut cum valentiſſimis quinque barbarorum navibus

pu-

Digitized by Google

pugnaret. Cumque in eo eſſet, uti potiretur, 1659. Halyus regreſſus, magna feſtinatione ſuis laborantibus cum omni claſſe auxilio venit. Potuit Maurocenus inhibere, ac retro vela dare, ſeque adjungere Claſſi reliquæ; eoque modo periculum, quod impendebat, vitare. Facere id tamen noluit; mortem honeſtam præſtare dictitans turpi vitæ. Suos itaque re magis, quam verbis hortatus, ſeſe in Præfectum jacit. Idipſum cæteri faciunt. Prœlium fit atrox, quod poſt paullo nox diremit. Poſtero die, cum vix luceret, uti rurſus in manus veniret, parat. Quo tempore ventus contrarius coortus, impedimento fuit; quo uſi barbari, Samum primo, Rhodum deinde incolumes abiere. Hæc dum fierent, nuntiatum eſt, Turcas armorum, & commeatus vim ingentem Torone habere, quod Macedoniæ oppidum eſt, ſitum in peninſula, quæ eſt ad ſinum Toronaicum; natura loci, operaque, ac militum præſidiis ſatis firmum. Eo igitur confeſtim navigat: adgreditur. Quæ poſtquam vident barbari, metu perditi, deſerunt; noſtri potiuntur; direptumque flammis ſuccendunt. Præda magna omnis generis ibi facta; eaque militibus conceſſa; bellica tormenta, numero

Digitized by Google

1659. mero triginta ſex inde ablata, atque ad Claſſem traducta. Neque ita poſt multo Erythras, quæ contra Chium arx eſt validiſſima, præter ſpem cepit, quam evertit; æneis balliſtis ad octoginta inde abductis. Quæ dum a noſtris agerentur, Halyus, qui ſe Rhodum fuga abdiderat, ubi comperit, Maurocenum rebus aliis magno ſtudio operam dare; ac longe inde abeſſe; portu movit; magnaque feſtinatione ad fauces navigavit. Quas cum præter ſpem liberas inveniſſet, eo claſſem in tutum recepit. Lætuſque ea re mirum in modum, dies plures, conviviis magnifice, opipareque inſtructis, dicitur accepiſſe. Id Maurocenus ubi reſciit (nam Erythris, cæteriſque rebus cum operam navaret, circum homines miſerat, qui de Præfecto, quid ageret, quæque moliretur, celeriter nuntiarent) nulla interpoſita mora ad fauces trajecit, ut barbaros, ſi quo modo poſſet, ad prœlium laceſſeret. Ibique fuit biduum; quo tempore multimodis lædendo, ac minitando, ad pugnam trahere conatus eſt. Fruſtra. Virtutem enim Imperatoris, ejuſque occulta conſilia Halyus timebat. Quod poſtquam animadvertit Maurocenus, Chium rediit; neque ita poſt multo in-

ſulas

ſulas circumvehens, quæ ſunt in ora ſitæ, naves hoſtium onerarias plures cepit, incenditque; expoſitiſque copiis militum locis pluribus, boum vim, pecudumque magnam abegit; magnumque inde abduxit hominum numerum, quibus ſupplevit remigum ordines. Ac nonnullis dictitantibus, facile ei fore, potiri Chelidoniis, quæ ſunt inſulæ maris Pamphilii ad Sacrum Promontorium, ſi eo accederet, non audire noluit, ac protinus acceſſit. Eæ inſulæ tres ſunt numero, quarum media quæ eſt, arcem habet, eamdemque validam, in colle ſitam, quæ ſubjectæ urbi imminet, ac portui ſatis amplo. Ea fuit urbs, frequens cultore, forumque magnum rerum venalium, quo homines regionis univerſæ, mercaturæ cauſſa, ventitare conſueverant; quoque appellere naves ex Ægypto venientes. Ac Maurocenus, diu quidem loci ingenium contemplatus, poſtremo imperat Petro Quirino, uti ſupra inſulam quinque triremibus in ſtatione ſit; caveatque, ne quod auxilium, ſe agente, veniret oppidanis a continenti. Ipſe deinde, copiis de Claſſe eductis, læva ac dextera, arci tormenta admovet. Brevique crebris ictibus pars muri dejicitur parte utraque, qua 1659.

1659. Imperator irruit magno impetu. Eaque cum cernerent, qui arcem obtinebant, de deditione continuo hac lege egere, ut, ſalvis rebus, ipſi quoque incolumes abirent. Id minime impetrantes, arbitrio Imperatoris cuncta commiſere. Captaque hoc modo arx nobilis, atque exciſa eſt. Ex oppidanis, qui viribus, & juventa maxime pollebant, plerique omnes ad remum dati; miſſi reliqui. Præda ingens omnis generis in urbe, atque arce inventa eſt; tormentaque bellica ad quinquaginta, & balliſtæ aliquot eximiæ cujuſdam magnitudinis; eaque cuncta in naves avecta.

1660. XIII. Atque hæc quidem tot, tantaque facinora Imperatoris, Turcam exterruere; ac ſerio quidem, dolenſque ac mœrens, inſulas amiſſas narrare in aula Rex ſuis cœpit; fuſaſque claſſes, ac faucibus incluſas, cum Imperii dedecore. Ad hæc impedita, aut intercepta auxilia, & commercia ſociorum; tum annis ſingulis inſeſſa oſtia Propontidis; indeque objecta claſſi regiæ impedimenta; eaque ipſa crebra, ne ad bellum exiret; & navibus onerariis, ne ex Africa, Aſia, Europa cum frumento, atque annona Byzantium venirent. Magna illa quoque,

&

& tum incredibilia, exigui timidique animi ho- 1660.
mo, prope abeſſe, prædicabat, cum ſibi, Imperatore Mauroceno, de ſalute eſſet dimicandum. Id quidem certe dictitare, niſi undique celerrime fauces communirentur, Venetos rerum ſecundiſſimarum magnitudine elatos, in ſpem propediem venturos de arce ipſa Imperii. Suorum deinde inſcitiam, ignaviam, væcordiam accuſabat: gula, pene, inſanis plurimis libidinibus fractos ac debilitatos, nihil audere, neque boni quicquam cogitare poſſe. Ac tum quidem, talia hæc diſputans, pronuntiat de ſella, ſe ſe claſſi deinceps, copiiſque ſuis præfuturum; iturumque obviam Veneto Imperatori. Urbique, uti dictum eſt, impenſius timens, Seſtum Abydumque magis undique, magiſque communiri jubet; ejuſque rei curam verbis gravibus navalium Præfecto dat. De quo homine, poſt Muſtaphum, quoniam res ita tulit, pauca quædam dicam, quibus, ſi minus religione Gens noſtra, ubi deſerit; at malis & calamitatibus, quibus ſeſe objicit, maxime tangatur. Eam igitur poteſtatem per id tempus homo Hiſpanus obtinebat; qui, puer adhuc dum eſſet, captus a prædonibus, ductus eſt Conſtan-

 tino-

1660. tinopolim ; ibique noſtris rejectis palam , impiiſque initiatus myſteriis Mahumeti, Mahumetus eſt appellatus. Quod præclara quadam ingenii vi eſſet, atque indole; magna cura a barbaris eductus, educatuſque eſt ; bellique artes, & rem navalem impenſe didicit. Quibus deinceps nobilitatus, alias poſt alias poteſtates tenuit, donec ad navalium præfecturam pervenit. Is igitur dicto Regi audiens, Rhodiam delegit, curſu velociſſimam, ornatiſſimamque, qua vectus ad fauces contendit. Ei navarchus Meſſanenſis præerat, qui ſacra is quoque Chriſtiana jamdiu abjurarat. Hunc repente, impii facinoris pertæſum, cupido cepit Mahumeti potiundi. Conſilia itaque cum captivis, quorum plurimi in navi erant, init occultiſſima. Quibus patratis; nihilque tale cæteris opinantibus; ſe ſe cum manu ſua in barbaros jacit; eoſque obtruncat partem maximam; tum Mahumeto catenas injicit ; eoque modo vinctum Melon ducit ; ibique Imperatori tradit. Lætuſque ea re vehementer Maurocenus, hominem continuo Venetias miſit. Eoque poſtquam venit, Patres non tam gaudere, ducem nobilem perductum in poteſtatem, quam cum illuſtri adoleſcente

per-

permutari eum poſſe, eodemque patricio; ſtatim movere de M. Antonio Delphino negotium cœpere, qui jamdiu a barbaris in vinculis detinebatur; non ſua quidem ignavia, ſed nimia quadam, atque intemperanti fortitudine. Quod cavere ſedulo in rebus omnibus homines debent. Facile enim fieri poſſe ea putamus, quæ maxime cupimus; cum ſæpe tamen, etſi bene conſuluerimus, fortuna deſerat; ſæpius etiam fallamur, re male cogitata. Namque is patrem, vixdum egreſſus ex ephebis, ſecutus fuerat, cum Prætor provinciam Cretam obtinuiſſet. Quo loco, cum urbe Candia frequens, pugnandi cauſſa, pater exiret, Marcus exire quoque, adverſus paternum imperium, non dubitavit. Cumque militum manipulis permixtus, fortiſſime pugnaret, ab hoſtibus captus, Byzantium ad Regem miſſus eſt; ibique, illius juſſu, in carcerem conjectus; acrique diu, atque aſpera cuſtodia, contra ac forma, & ſpecies pueri liberalis, virique principis filio digna, hortaretur, detentus eſt; in qua etiam occubuit, duoetvigeſimo anno, quam fuerat hoſtium potitus. Hunc igitur Patres, annis ante quattuordecim captum, cum pecunia redimere per Re- 1660.

gem

1660. gem non liceret, permutare cum Mahumeto voluere. Sed conditio hæc barbaro oblata, præter omnium opinionem, repudiata eſt. Ex quibus facile intelligitur, nulla eam gentem eorum tangi miſericordia, quos fortuna deſtituit.

XIV. Sed hieme fere exacta, ver aderat; quo tempore Maurocenus Chalcidem capere conſtituit, quam copiis exiguis teneri compererat; militeſque, qui obtinebant, ſecuros metu, liberius agitare, cuſtodiamque negligere. Tale autem ad tantam rem perficiendam conſilium ei probatur: ut nec opinantes confeſtim adoriretur; remque arbitrabatur, ſi ex improviſo potius, quam ex compoſito adgrederetur, felicius ceſſuram. Porro Chalcidem ſi caperet, quæ Græciæ immineret, id maxime utile ad eas res fore exiſtimabat, quas animo moliebatur. Claſſem igitur ad Andrum dividit; majoreſque naves, quibus inſulam circumveheret; ſinu Maliaco deinde in urbem ferretur, Antonio Priolo tradit; ipſe continuo Euboico cum roſtratis eodem navigat. Et conſilium illius quidem hoc primum fuit, ut pons, quo Eubœa jungitur Achajæ, reſcinderetur. Quo facto, quæ Chalcidem a continente auxilia afferri poterant, im-

impediebantur. Deinde uterque milites exponeret, quibus uno impetu in urbem irruerent. Ac Priolus quidem brevi, ac ſine labore eo pervenit, quo voluit; Imperatori vero aliter evenit. Diu enim, multumque cum ventis luctatus eſt. Quæ res ſpatium his dedit copias contrahendi, qui Chalcidem obtinebant. Ac licet magna vi remigum eo poſtea provectus eſſet, tentare tamen rem noluit; quod re patefacta, cerneret, non ita facile capi urbem poſſe. Itaque una cum Priolo Sciathum Claſſem advertit; plurimiſque hortantibus, ut perficeret, quæ cœperat; ac nobilem inſulam redigeret in ſuam poteſtatem, reſpondit: *Multo tempore, multiſque partibus adverſarios, uti tunc eſſent, fore; potiuſquam Claſſis, qua Reſpublica maxime continebatur, periret, aut collabeſieret*; curſumque direxit, quo tendebat. Eo cupidius Sciathum rapiebatur, quod ſeſſores intelligeret, perfidia atque arrogantia eſſe intolerabili. Sita eſt inſula inter Pelaſgicum, & Thermaicum ſinum, ſupra Eubœam, contra Magneſiam. Tributum, quod reliquæ inſulæ, quæ circa erant, pendebant, pendere jamdiu, ut, vi coacti, ſæpe recepiſſent, nolebant. Arci fidebant, quæ celſa in rupe, & undique abrupta, ſita erat; 1660.

eaque

Digitized by Google

1660. eaque inſtructa magnis, crebriſque turribus, quas manus militum non exigua tuebatur. Cogere igitur in animum induxit; eoque ubi venit, copias continuo expoſuit; atque in arcem movit. Triduum diu, noctuque tormentis quatit, ac fortiter oppugnat. Contra ea magnis animis, magnaque audacia oppidani repugnare. Quarto denique die, quam advenerat, disjectæ pulſu frequenti turres binæ ſunt; & globis igniferis, quorum vis innumerabilis intro a noſtris conjecta eſt, ardere tecta, ac ruere cœpere magno fragore. Quod cum illi animadverterent; nec ſe diutius tueri poſſe; pacti, ut ſingulis cum ſingulis veſtimentis egredi oppido liceret; arcem dedidere, quam miles diripuit. Quæ diu barbaris ſummo dolori fuere. Omnium enim, quæ in Ægeo ſunt, arx habita firmiſſima; quæ belli omen fecit; Turcaſque terruit. Atque in ea quidem aſpera obſidione ex noſtris octo dumtaxat deſiderati ſunt: ad tredecim vulnerati. Magna in arce balliſtarum, ac tormentorum reperta vis, ollæque ignitæ plurimæ; calx etiam, corbeſque innumeræ, quæ ad nocendum plurimum valebant; adhæc annonæ copia, quæ ad annum ſufficere potuiſſet. Græcis qui in oppido

pido erant; quique ferociſſime cum cæteris una, qui exierant, pugnarant, manendi optio facta eſt; tributumque, quod penderent in annos ſingulos, imperatum. Hiſque in hunc modum patratis, Cytheram trajicit, quo loco ſocios opperiri placuit. Æſtatis itaque partem magnam ibi fuit, orans ac petens, litteris miſſis, nunciiſque, ut maturarent. Denique ab Gallia, quæ Rex miſerat, auxilia venere; neque ita poſt multo triremium Romanarum, ac Melitenſium manus, & binæ Thuſcæ; poſtremo etiam Almericus, qui regnum ſpe obtinebat apud Mutinenſes; Galliſque militibus præerat. Quas ob res lætitia ingens in Claſſe fuit. Interim nunciatur, exiſſe barbaros Helleſponto, atque ad Leſbum inſulam agitare. Idque omnium animos, ac voluntates vehementer movit; auditæque voces conclamantium, ut eo ducerentur; cunctis volentibus Leſbum continuo contendit. Sed Turca ubi ab exploratoribus accepit, quorum alios in alia, atque alia loca miſerat, cum maximis copiis, maximoque ardore militum Maurocenum ad ſe venire, feſtinans ac timens inſula abit; ad quam poſt paullo cum Veneti veniſſent; neque, quorum cauſſa venerant, inve- 1660.

1660. niſſent; rati circa offendi poſſe; rurſum curſare, ac prorſum avidius cœpere, ſicubi invenirent. Quod poſtquam dies aliquot fruſtra fecere, Cytheram revertuntur. Quo loco Imperator, nulla interpoſita mora, Conſilium habet. Quidnam maxime ſuſcipiant, quærit; cunctiſque Cydonem, rem ſæpe tentatam, tentari etiam oportere, placuit. Animumque ad id pleraque addiderant. Nempe vis magna militum lectiſſimorum, qui in Claſſe erant, ad quattuordecim millia: adhæc ingens multitudo hominum, quam ex agris accurſuram, ſi noſtri accederent, pollicebantur. Copiæ præterea, quæ ex maximo militum præſidio, qui Candiæ erant, ſumi poterant. Hiſque omnibus fretus Imperator, Cydonem pronuntiat. Sed cum in eo eſſet, ut ſolveret, ſeditio in navibus ingens coorta, quæ triſte omen rei fecit. Namque milites, qui paullo ante cupide petebant, ut in hoſtem ducerentur, repente commutata voluntate, non prius ſe eo ituros palam prædicabant, quam menſium quattuor ſtipendia ſingulis penderentur. Eaque ut exſtingueretur, primum minis atque acerbitate actum eſt. Cum id minus procederet, atque adeo obeſſet magis, quam prod-

prodeſſet, promiſſis ac lenitate; qua Garennius, 1660.
eorum unus qui de tollenda calamitate maxime ſolicitus erat, poſtremo vicit. Nec ante tamen ad officium rediere, quam æra unius menſis perſolverentur. Quo facto, Cretam Maurocenus confeſtim trajecit. Sed cum ad ſinum Amphimalum perveniſſet, tum demum ſenſit, Cydonios fidem non præſtituros. Gens fallax eſt, atque nequitiæ & doli plena; mendacio ac perfidia perpetuo innutrita; ea conſuetudine quæ patres tenuit, majoreſque ab ſtirpe ultima. Idque cauſſabantur: ne, ſi minus proſpere Venetis res ceſſiſſet, ſibi perniciei atque exitio foret, voluntatem aperuiſſe. Quæ ſunt ſtulte cauſſati. Nam, præterquamquod dura ſervitus demebatur, ultro paullo ante, ac ſæpius erant cohortati; ut in tempore vel cum capitis periculo præſtare eos, oporteret. Litteræ deinde redditæ a Marco Bembo, qui Legatus Candiæ præerat; quibus litteris nunciabatur, morbo pene peſtilenti urbe tota laborari; militeſque & oppidanos partem magnam interiiſſe, atque interire in dies magis; eaſque copias, quæ in arce eſſent, lue adeo comminutas, ut vix, ac ne vix quidem pars dimidia ſuperſit. Porro ex ea

I 2 parte

Digitized by Google

1660. parte ſi particula vel minima demeretur, vereri ſeſe, ne barbari, ſine ulla ſua moleſtia, urbe potiantur. Sed res exiles iſtiuſmodi, etſi animum imminuebant, non frangebant tamen. Nec dubitavit Maurocenus, ad milites lectiſſimos octingentos ſtatim eo loco exponere, qui maxime idoneus viſus eſt. His deinde imperatum, ut recta ad caſtellum pergerent, quod appellant Sanctæ Venerandæ; idque magna vi adorirentur. Iique ſedulo imperata faciunt; magnoque impetu adorti, iiſque cæſis, qui, ne accederent, prohibere conabantur, brevi capiunt. Eaque dum fiunt, copiæ reliquæ ſunt celeriter expoſitæ, quæ in Claſſe erant, quibus ſe barbari objecerunt; horaſque aliquot utrinque acriter pugnatum eſt; poſtremo Turcæ terga vertere. Quibus omnibus alacriores ad rem gerendam noſtri facti ſunt.

XV. Sed, quo facilius Cydonem oppugnare, & capere poſſet, loci ingenium prius cognoſci voluit. Itaque Garennium cum ala equitum, & peditibus quadringentis miſit, qui circumſpiceret. Iſque dum impigre mandata efficit; Haſſanus, qui urbem obtinebat, cum magna ſuorum manu egreſſus, manum conſeruit.

Fero-

Ferocius noſtris inſtat; pugnat audacius; eaque 1660.
dum in primis facit, glande ictus cecidit. Quo facto, reliqui non magno admodum labore intra muros pelluntur. Itaque Garennius, metu liber, ſitum urbis undique contemplatus, Imperatori narrat, latius, quam iis copiis, quæ aderant, complecti poſſet, patere; neque ullo modo eſſe committendum, ut illo ambitu immani miles diduceretur. Quæ ſunt Mauroceno mirifice probata. Cumque initio adgredi placeret; primoque impetu urbem oppugnari; re nuntiata, caſtella tria aggredi placuit, quæ circa Amphimaliam ſita ſunt, unde barbari portum infeſtiorem faciebant. Eaque ſi caperentur, in ea erat ſententia Imperator, eam multitudinem, quæ in agris foret, allici facile poſſe, ut arma ſumerent; eorumque opera noſtros in oppido oppugnando plurimum juvari. Continuo igitur in caſtellum fert, cui nomen Calojero; quod brevi, ſuorum fuga deſertum, occupat. Idque ipſum deinde alteri evenit, quod Calamum illi appellant. Reliquum fuit tertium, cui nomen Arpicorni; in quo tamen capiendo multum laboratum eſt. Nam, præterquamquod via aſpera, & undique præciſa eundum erat,

eam

1660. eam barbari, crebris injectis lapidum acervis, ſectiſque truncis ac ramis arborum, aſperiorem fecerant. Ad hæc ipſi magno numero, aut apud ſepta illa abditi, aut in antris ac ſpelæis, quæ quaſi de induſtria paſſim natura inſtruxerat, glande aut jaculis demittendis, multis modis noſtris nocebant. Sed Garennius, qui primum militum agmen ducebat, omnibus iſtiuſmodi impedimentis ſuperatis, homines acerrime pugnantes tandem vi ſumma pellit; atque in fœdam fugam vertit. Quos deinde dum avidius in primis inſectatur; neque ab illorum dolis timet, in anfractu circumventus, miſere obtruncatur. Vir fuit magna vi animi & corporis præditus; multiſque belli facinoribus clarus. Gallis equitibus præfuit, quos auxilio Rex miſerat; quem dicere ſolitum accepimus, ſe nihil timere, præter turpitudinem. Qui diutius quidem florere potuiſſet, atque ad ſummas poteſtates pervenire, niſi intemperanti quodam ardore animi, cujuſmodi fere ingenia Gallorum ſunt, rapi ſolitus eſſet; quo demum interiit. Garennii mors equitem terruit, peditemque mox, qui ſequebatur; illique facile terga dediſſent, niſi cæteri, qui ordine præerant, retinuiſſent, ac ver-

Digitized by Google

verbis inflammaſſent. His igitur acti, in hoſtem *1660.*
victorem rurſus irruunt, inſtant, cædunt; pellunt locis omnibus. Ac tum demum barbari victi, profligatique, hac illac occultis locis dilabuntur. Noſtri recta ad caſtellum tendunt; idque vacuum repertum occupant, ac præſidium imponunt. His itaque potitus Imperator, copias Cicalariam confeſtim ducit. Sita in plano illa eſt, quam ſylva ingens munit parte una; celſique altera, atque abrupti montes. Caſtraque illico metatur; vallumque antica jacit, ac poſtica. Tum circa homines mittit, qui ruſticos ad arma, ac libertatem vocent. Quæ dum illi ſedulo faciunt; & Imperator opperitur; repente ab Nova-Candia turba hoſtium ſeſe magnis ululatibus in vallum effudit. Ferunt, peditum ad ſeptem millia, equitum ad quingentos. Tantaque vi, atque impetu ſunt caſtra adorti, ut Cremonvillio, qui præerat, vix ad comparandum ſpatium ſit relictum. Pugnatur itaque ad multam diem; quo tempore barbaros, ſæpius ſuperſcandentes, ſæpius quoque noſtri depulerunt. Poſtremo territi vehementer ſunt, poſtquam animadvertere, ſcindi antica cœptum eſſe; magnaque audacia ſeſe infra per montis dorſum ho-

1660. hoſtes demittere. Ac res quidem in ſummo diſcrimine erat; noſtrique milites non facile reſiſtebant, cum accurrit Imperator. Hic licet animadvertere, vera illa quidem eſſe omnia, & communia Imperatoribus cum militibus, & fortuna, quæ tradita ſunt, in prœlii concurſu, a conſilio ad vires rem abire, vimque pugnantium; ac jure ſuo pleraque militem ab Imperatore, plurima fortunam vindicare; ſeque valuiſſe pluſquam Ducis prudentiam, poſſe eam recte prædicare; ſed dici vere tamen illa quoque, conſtantia ac ſapientia Imperatoris animo præcipientis, præripientis, cunctantis, virtute, dolove agentis; illaque una geri res, vel reſtitui magnas. Nam hic non ſolum princeps Maurocenus reſtituit rem perditam, ac deploratam, ſed pene ſolus. Quem milites cernentes; ejuſque vocibus increpiti, & opera inflammati (nam ſeſe in primam aciem conjecerat; ibique audaciſſime pugnabat) in hoſtes jaciunt; magnaque vi anniſi, eos caſtra propemodum tenentes, inde pellunt; atque in fugam vertunt. Fit magna cædes; quæ res tamen minime noſtris fuit incruenta. Quippe ex barbaris cum ad mille ducenti fere cecidiſſent, ex noſtris ad ſeptingenti ſunt

deſi-

Digitized by Google

deſiderati. Quæ unius virtus, atque exemplum *1660.*
facere potuit. Cæterum cum intelligeret Maurocenus, temporibus commutatis, non recte eo loco caſtra retineri; nec ſpem ullam eſſe tum quidem Cydone potiundi, hoſtibus paratis extra decertare, ſubſidiaque vel cum ſummo diſcrimine intro inferre; decedendum cenſuit; ac primum quidem ad caſtellum venit Divæ Venerandæ; Calamum deinde; neque ita poſt multo. Quo loco conſilia agitari cœpta ſunt, quibus, quid maxime agerent, quæſitum eſt. Multiſque exigua, ac minuta quædam probantibus, quod ſocii abiiſſent; nec ſatis tutum iis videretur, ſolis viribus Reipublicæ, magnam aliquam rem aggredi; ne, ſi calamitas eveniret, actum eſſe videretur de ſumma rerum; ipſe contra pluribus oſtendit, Claſſem Venetam per ſe vi maxima pollere; majoraque ab ea ſola perfici poſſe, quam ſi ſocii adeſſent ſimul una; quod ea, ubi cœpit, ſumma conſtantia, ac ſedulo agat; ſociorum ſit illa conſuetudo, ut perpetuo diſſentiant; & uſque improbent, quod illa probet; vel ſiquando placeat, quod illi placuit in Conſilio, dum res ad manum venit, aut eam rem gerant minus impigre, aut nihil gerant.

1660. Idque omnibus perſuaſit, qui aderant. Quibus tamen, quid tum potiſſimum ſuſciperent, quærentibus, Candiam tranſmitti, ſibi placere, reſpondit; indeque contendi Novam-Candiam; quam capi facile poſſe, docebat; quod hoſtes, de quibus ſupra dictum eſt, partem magnam inde abeſſent; eoſque in tempore, ut maxime conentur, minime adeſſe poſſe; quique in urbe ſint, Venetis nequaquam eſſe pares. Sententia itaque probata, ſtatim proficiſcuntur; ac biduo, quam deceſſerant, Candiam pervenere. Ibique Maurocenus paullulum ſubſtitit; inde Novam fert. Ac licet; quæ ad arcem via foret; quæque opera; nemini eorum, qui in Claſſe erant, cognitum eſſet; tamen, ut rem prius conficeret, quam iis redeundi, quibuſcum ad Cicalariam pugnatum erat, poteſtas ulla eſſet; militibus in partes duas tributis, continuo movit. Quæ, quamocyſſime fieri potuere, omnino acta ſunt. Sed his omnibus ſatis ſcite, prudenterque inſtructis, atque compoſitis, fortuna tamen, cujus idemtidem ſævum eſt, liberum certe, ac ſolutum imperium, reſtitit; neque tanta diligentia opprimere hoſtes potuit, qui in ſpeculis diu, noctuque, ea veriti ne acciderent,

quæ

quæ jam evenere, diligenter agitabant. Tanta- 1660.
que audacia animi fuiſſe dicuntur, ut, ſtatim
ac ſint noſtros conſpicati, erumpere non dubitarint; ac magnis ululatibus irruere. Pugnaque
ſæva, atque aſpera tum eſſe cœpit. Ac barbari
quidem, qui impetum fecerant in dextrum cornu, cum aliquandiu fortiter conflixiſſent, poſtremo in fugam acti ſunt. Quo tempore Hieronymus Niger cecidit, percuſſus glande; qui
in eo bello miles fuit voluntarius; Antonii frater, qui erat a ſecretis Imperatori; quique de
ſe magnam ſpem fecerat, multis patratis belli
facinoribus. Eademque noſtrorum fortuna fuit,
qui pugnabant in lævo cornu. Nam Turcæ majore audacia acti, quam virtute, cum vix pugnæ initia feciſſent, noſtrique fortius urgerent,
terga dedere; caſtraque deſeruerunt, in quibus
diu antea fuerant; quæque tormentis pluribus,
magniſque balliſtis undique inſtruxerant, atque
ornarant. Quo facto Maurocenus recta Novam-Candiam cum omnibus copiis procedit, ut oppugnet. Quæ nullo pacto noſtrorum manibus
eripi poterat; his vehementer territis, pauciſque
qui in urbe erant; iiſque procul agentibus, qui
exierant, uti ſupra demonſtratum eſt. Tamen

Digitized by Google

1660. accidit, ut nullo modo caperetur; avaritia nimirum, quæ animum virilem etiam effœminat, præpediente. Nam, neſcio quomodo, cum exiſſet, caſtra, quæ ceperant, magnis divitiis referta eſſe; rebuſque omnibus abundare, quæ ad annonam pertinerent; primo pauciſſimi, ut pleraque inde raperent, avidius ingreſſi ſunt; plures deinde ea de cauſſa; poſtremo omnes; fruſtra his vetantibus, qui præerant. Idque dum quiſque agit, ut urbis, bellique omnino oblitus, plurimum capiat, eripiat, latrocinetur; libidinemque ſuam expleat, quæ nunquam expleri poteſt; evenit, ut turpiſſima hæc Turcis cernentibus, eorum aliquibus in mentem venerit, dolum facere. Ac ſtatim ad triginta dumtaxat, qui numero equitum erant, agminis modo, eo rediere, vociferantes: *Hoſtem adeſſe*. Quam vocem, veluti datam dictionem, alii continuo ex noſtris tradidere, ut momento fere omnibus ſit reddita. Tantuſque repente terror eſt injectus, ut, præda armiſque abjectis, ſeſe turpi fugæ ſtatim mandarint. Quæ barbari mirati, qui in urbe erant; quique circa pulſi; facta manu, eo omnes convertunt; magnaque vi, ac majoribus ululatibus in fugientes feruntur. Noſtrique,

Digitized by Google

que, tergis cæſi, non ante fugere ſumma contentione deſtitere, quam raptim ac turbate Candiam perveniſſent; ſeque mœnibus abderent. Alii quoque, dum vallo erumpere conati, aliis præ feſtinatione ſunt impedimento, turba obruti, diſperiere. Ferunt, ea fuga ex noſtris deſideratos ad mille trecentos, nulla omnino jactura hoſtium; nullamque ad eos retinendos operam valuiſſe eorum, qui curationem ullam, aut poteſtatem, aut imperium obtinebant. Quæ cum animadverteret Maurocenus: *Neque hoc*, inquit, *vitio humanæ gentis primum fit; & raro hominibus bona mens datur & bona fortuna*. Sed noſtri quidem milites, poſtquam ex pavore illo immani ſe recepere; ſuique compotes, quæ acta erant, expendere cœperunt; mirari initio, quomodo libido rapiundi habere omnes potuiſſet; fictaque illa mox vim tantam, ut, veluti furiis quibuſdam agitati, cuncti turpiſſime terga darent; tum dolere, pro gloria Imperii, tantum dedecus, tantamque ignominiam Veneto nomini, ac majeſtati turpi, ac fœda timiditate illa ſua inuſta. Voceſque militum undique exauditæ Imperatorem obſecrantium: *Parceret: duceret in Turcam e veſtigio: ſe victuros: turpitudi-* 1660.

nem

1660. *nem deletum iri ſanguine barbarorum*. Ducebatque continuo Maurocenus; cum repente nuntiatur, hoſtium copias Amphimalo rediiſſe. Placuit igitur tum abſtinere; idque temporis opperiri, quod foret rebus gerendis aptius; ſuoſque diutino labore pene fractos, quiete aliqua reficere. Eaque illi agenti calamitas obtigit. Nam lues morbi, de qua ſupra demonſtratum eſt, quæ Candiæ graſſata antea fuerat; reſtinctaque videbatur; ſubito ſævire ex integro ita cœpit, ut, qui venerant, omnes invaſerit. Plurimique diebus pauciſſimis eo interiere, ope nulla, aut opera luem pellente. Ipſeque Imperator morbo illo propemodum diſperiit. Qui, ubi per valitudinem licuit, ſeſe, cæteroſque inde abduxit, ac Paron trajecit, ſalubri cœlo inſulam. Quo loco Almericus exſtinctus eſt poſtpaullo, annos natus decem & novem. Magni ſine controverſia ingenii fuit, magnique animi adoleſcens, cui nihil defuit, niſi vita longior, ad ſummam prudentiam bellicam properanti. Eique ab Imperatore primum funus ampliſſimum in inſula; deinde a Patribus in Urbe factum in æde eſt D. Franciſci, quam hi obtinent, qui *Conventuales* appellantur; memoriaque appoſita, & ſtatua addita.

XVI.

XVI. Interim Galli milites, quibus præfue- *1660.*
rat Almericus, obitu illius vehementer mœſti, eaque maxime calamitate, quæ accepta erat ad Novam-Candiam; primo muſſare in ſermonibus cœperunt; deinde in cœna loqui liberius; poſtremo palam de his queri, quorum culpa accepta foret. Poſtulare omnibus locis, uti lege quæreretur. Quibus permotus Maurocenus, quæri ſeveriſſime juſſit. Rumorque erat ſatis conſtans, mali initium a militibus factum, qui egerant in ſiniſtro cornu, quibus Antonius Barbarus injuſſus præfuerat; cæteros deinde exemplo illectos; neu prædæ expertes forent; idipſum factitaſſe. Ac Barbarus quidem ſtatim citatus eſt ad cauſſam dicundam; qui, cum ter vocatus minime adſuiſſet, capitis abſens damnatus eſt. Eaque cum audiſſet; nec ſatis tuta ea loca ſibi exiſtimaret, quamocyſſime id fieri potuit, Venetias venit; ibique huc curſare, illuc cœpit; & ſingulos prendere; iiſque ſalutem ſuam, ac fortunas commendare. Id præterea dictitabat, ſe ideo Imperatorem judicem ejeraſſe, nec affuiſſe tertium vocanti, quod æquo jure apud eum uti non poſſet. Neque ita poſt multo cauſſam dixit, & quadraginta viris quærenti-

1660. tibus, qui lege ac more in civitate quærunt, abſolutus eſt; culpaque in diei illius fortunam omnis rejecta eſt. Quæ futura prædixerat Maurocenus; quem, ut Barbarum damnaret, non tam flagitium coëgit, quam ſpretum imperium. Interim gravi, ac diutino morbo Maurocenus rurſus implicitus eſt; quo factum eſt, ut nihil fere per id tempus a noſtris tentatum ſit. Diuque homines de illo dubitarunt; quo tempore vota publice pro illius ſalute, privatimque ſuſcepta ſunt, ac ſacra facta novemdialia. Poſtremo convaluit, exacto fere autumno. De hibernis cogitat; cum per anni tempus nihil fere agi poſſet. Claſſem itaque dividit; ac partem unam navium Tenum dimittit, ac Cytheram ad hiemandum; reliquas Paron, ac Melon inſulas. Cytheram ipſe ſibi delegit; quo loco ei nuntiatur, naves Ægyptiorum viginti mari Libyco cum frumento, ac milite Cydonem navigare. E veſtigio igitur, ut intercipiat, Cythera proficiſcitur; ſubſiſtit ad Cadiſcum promontorium; atque, ubi primum illæ ibi apparuerunt, magno impetu invehitur; potiturusque omnino videbatur, cum repente cœlum atra nebula tegitur, quæ conſpectum ademit; ejuſ-

que

que beneficio, una excepta, reliquæ omnes e- *1660.*
vaſere. Sed is cum aliquibus morbi reliquiis idemtidem tentaretur; finiſque imperii adeſſet, per litteras petiit, ut ſibi qui ſuccederet, mitteretur; liceretque in Patriam redire. Eaque facilius ut impetraret, privatim litteras ad propinquos & neceſſarios miſit, quibus magnopere poſtulabat, ut ne longius imperium eſſe paterentur; ad magiſtratus nonnullos etiam, uti præfulcirent modis omnibus, præmunirentque. Quibus factum eſt, ut Georgius Maurocenus, qui decem ante annis Provinciam Cretam Legatus obtinuerat, ſucceſſor datus ſit. Eique cum Claſſem pulcherrime inſtructam tradidiſſet, Ve- *1661.*
netias rediit, anno tertio ac vigeſimo, quam inde diſceſſerat. Quo poſtquam venit, Civitatis oculos in ſe convertit, pleriſque omnibus cernere cupientibus, quem, rebus tot præclare geſtis, intelligerent, Reipublicæ plurimum profuiſſe; quemque clarum in primis, ac nobilem feciſſent magnæ delatæ poteſtates, ac ſummum poſtremo Claſſis imperium. Quod ut ei deferretur, non tam vetuſtas familiæ, quam alia omnia impulerant, quæ homini abunde erant, induſtria, probitas, militiæ magna ſcientia, a-

Digitized by Google

1661. nimus belli ingens, domi modicus, libidinis ac divitiarum victor, tantummodo gloriæ avidus, Reiquepublicæ augendæ, & honeſtandæ. Ejus tum acta ad eam diem ætas in ore erat, virtuteſque ingentes, quibus ſeque, Remquepublicam ornarat; quibus patricios adoleſcentes, qui in Civitate erant, ut illius ſimiles eſſe vellent, ſenes hortabantur. Ejuſque facta fortia, vitaque a puero elegantiſſima recitabatur, veluti Carmen quoddam neceſſarium: hujuſmodi fere:

Ubi primum ætas belli, militiæque fuit patiens, non urbanis munditiis in Urbe trivit, ſed in Claſſe & caſtris, periculiſque & laboribus adeundis. Ita integrum ingenium inter artes bonas adolevit. His factum eſt, ut cum a Patribus Claſſis poteſtates peteret, pleriſque omnibus faciem ejus ignorantibus, facile notus per virtutem impetrarit; ſemperque in his ſic agere conſuevit, ut ampliore, quam gerebat, dignus haberetur; donec imperium ſummum adeptus eſt, quo Rempublicam ornare, quam domum ſuam maluit; quodque ſic tenuit, ut labentem diſciplinam vindicarit, & continuerit.

Quibus eſt Nobilitas ad virtutem plurimum inflammata. Sed his tamen omnibus efficere non po-

potuit, ne in odia multorum & voculas incurre- 1661.
ret; multiſque criminibus appeteretur. Quorum cauſſa, Prætura Patavina primum delata eſt, ut ibi eſſet, veluti diminutæ dignitatis loco; continuo deinde Stephanus Magnus in Cretam miſſus eſt, ut crimina colligeret, quæ objiciebantur; teſtes interrogaret; tabulas deſcriberet; omniaque inde afferret, uti lege in eum ſententia ferretur. Sed neque Præturam iniit, ad quam extrudebatur; quique nomen detulerant, cum omnia calumnioſe egiſſe, apparuiſſet, ipſi ſunt poſt paullo damnati. Nam pro Prætura, Carnia provincia tradita illi eſt; poſtquam ei multum a barbaris timeri cœptum eſt, qui cum Cæſare bellum gerebant; ne nimirum in Stiriam penetrantes, eam regionem occuparent,
quæ erat immunita; eoque credita provincia, 1662.
quod ſumma eſſet ſpes, ac fides de Mauroceno; nulluſque illi par eſſet in Civitate. Magnus deinde Creta rediit, cum ſevere ſane de omnibus quæſiſſet, quæ objecta erant; nihilque invenire potuiſſet, quod non ad ſummam illius laudem pertineret. Tabulæ in Curia recitatæ ſunt, frequentiſſimo Senatu, ſumma exſpectatione; iiſque recitatis, plena Patrum omnium

 ſuſ-

Digitized by Google

1662. ſuffragatione abſolutus eſt; deinde paullo poſt publice laudatus. Factum poſtremo Senatuſconſultum in hanc ſententiam:

Patribus cognitum eſt, Franciſcum Maurocenum in im-
1663. *perio optime verſatum: eoſque injuria egiſſe, qui poſtularunt. Decemviris mandant Rerum Capitalium, uti in eos quærant, & animadvertant; quo pœna cæteri deterreantur; multique in civitate ſint, qui Mauroceni, quam illorum ſimiles eſſe malint.*

XVII. Hic licet hominum nequitiam animadvertere, magnamque rerum humanarum varietatem, & inconſtantiam. Nam Maurocenus is fuit, quem nemo unus in Civitate fide, juſtitia, abſtinentia anteiret; pauci pares putarentur; nonnulli tamen inventi ſunt, improbi ac perditi, his ipſis temporibus, quibus in cœlum attollebatur, qui in hæc ipſa invaſerint; atque in diſcrimen adduxerint; nulla injuria laceſſiti, ſed peſte una invidiæ acti, quæ homines neque mala ſua expendere ſinit, nec aliena bona. Quæ tamen neque Maurocenum a recto bonoque unquam detinuerunt, neque alios oportet. Sed ad Maurocenum revertamur. Ad Carnos profectus, provinciam rerum omnium egentem invenit; quam tamen brevi

ita

ita undique communivit, ut ex ſummo timo- *1663.*
re Patres in ſpem magnam venerint rei bene
gerendæ, ſi forte barbari eo irrupiſſent. Inte- *1664.*
rim accidit, ut Turcæ ad Arrabonem fluvium
a Germanis profligarentur; quo facto, continuo
de pace cum Cæſare cogitarunt; eaque poſt *1665.*
paullo bonis pactionibus compoſita. Metus tum
ingens eſſe cœpit, ne hoſtis vim omnem, liber a Cæſare, in Venetos converteret. Patres
anxii, ac ſoliciti de ea re vehementer erant.
Itaque Maurocenum diu, noctuque conſultare,
quonam maxime pacto obviam irent; quæque
tum potiſſimum agerent; hujuſque conſiliis, *1666.*
quamdiu in Urbe fuit, adminiſtrata omnia ſunt;
ejuſque unius arbitrio res omnis tradita militiæ
eſt.

AN-

Digitized by Google

ANTONII ARRIGHII

DE VITA ET REBUS GESTIS

FRANCISCI MAUROCENI

PELOPONNESIACI

PRINCIPIS VENETORUM

LIBER II.

1667. DEinde nuntiatum eſt , Candiæ vim parari ; barbaroſque propediem cum magnis copiis adfuturos; eique rei, Regis juſſu, Achomatem , ferociſſimi hominem ingenii ; qui ſummam rei , ſecundum Regem, tenebat ; quemque Viſſirium illi appellant; præfuturum. Quæ fuere Patribus moleſtiſſima ; ſiquidem intelligerent , capta urbe , nullam provinciæ retinendæ ſpem eſſe reliquam ; neu caperetur, plurimum verebantur. Atque id qui-

Digitized by Google

dem Urbe poſtquam manavit; primum in ſer- *1667.* monibus, unum in Civitate eſſe Maurocenum, cui defenſio urbis committeretur, dictitari; palam deinde flagitari cœpit. Quibus factum eſt, ut iterum ea legatio ei traderetur. Iſque, omnibus celerrime paratis, ex Patrum voluntate, proficiſci properabat; cum interea litteræ ab Andrea Cornelio, Claſſis Præfecto, redditæ ſunt, quibus, ut ſibi liceret imperium ponere; atque in Patriam redire, poſtulabat. Comitia igitur Majora e loco habentur; cunctiſque volentibus, ſecundum Imperator declaratur, ſæviſſimo omnium bello, una excepta re illa Cameracenſi; aſperrimaque omnium oppugnatione, quæ Venetis obtigerit. De qua plurimi, partium ſtudio abrepti, plurima ſcripſere, quæ ſcribi ſane minime oportuit. Ego vero hic duo afferam, quæ nemo queat inficiari; ex quibus apparebit, qualis, quantuſque fuerit Imperator Maurocenus. Nam nulla urbs, noſtra hac, aut patrum etiam, majorumque memoria, aſperius, aut æque etiam aſpere, ac fuit Candia, eſt unquam oppugnata; nec vero fortius, aut æque fortiter defenſa. Primum enim tres annos ipſos, hieme juxta atque æſtate eſt divexata,

diu

Digitized by Google

1667. diu noctuque; tum copiis propemodum innumerabilibus. Quod facile ex ea multitudine intelligitur, quæ in oppugnatione interiit. Nam barbarorum ad centum viginti millia; eoque amplius, ut quidam tradidere; conſumta ſunt. Quodque incredibile dictu eſt; uno, eodemque tempore, quinquaginta novem diviſis locis, tormentorum in ſingulis, multis machinis & ordinibus. Sexies etiam quinquagies Turcæ cunctis copiis, magnoque impetu mœnia ſunt adorti; vineaſque egere, & cuniculos ſumma arte quadringentos ſeptuaginta duos. Denique machinamentis quibuſdam inuſitatis, atque innumeris circum urbem, unde irruerent, e regione eductis, Candiam alteram viſi ſunt contra ædificaſſe. Quibus nequaquam eſt territus Maurocenus; reſtititque tanta animi audacia, ut hoſtes irrumpentes, aut repulerit, aut ceciderit. Sed, quod fidem omnem ſuperet, cum barbaris ſub terram quinquies quadragies pugnavit; cuniculoſque & vineas in eos egit mille centum ſeptuaginta tres. Urbe denique erupit ſexies nonagies. Quæ tot, tantaque ſunt, ut non dubitem, pleriſque incredibilia viſum iri; quæ a nullo veterum facta legimus; quæque noſtri prodidere.

II.

II. Ubi igitur Maurocenus iterum Impera- 1667.
tor lectus eſt, Venetiis continuo diſceſſit; ac magna feſtinatione ad Claſſem contendit. Porro ex itinere binas epiſtolas ad Senatum miſit; quarum altera de delato imperio gratias egit; uſuſque verbis gravi ac magno Imperatore dignis, ſe ſibi, ac Patriæ nequaquam defuturum, pollicitus eſt. In altera autem Patres ſedulo pleraque commonuit; illa præſertim: *Turcæ omnino certum eſſe, Candiam propediem oppugnatum ire. Urbem rebus omnibus egere; quæ niſi celeriter mittantur, ſeſe male de illa ominari. Porro, ea capta, quæ pernicies paretur; quæque incommoda conſequantur, pro ſua prudentia, per ſe videre. Quod ego,* inquit, *vos hortor, moneoque, Patres Conſcripti; utque diligentiſſime, quæ nunc edico, ac prædico, & attendatis, & cuſtodiatis; ne quiſquam fortaſſe deinde ſit, qui illa amiſſa, culpa potius noſtra, quam aliena, id contigiſſe dicat.* Ipſe poſt paullo Cretam pervenit; de qua pauca, ad neceſſitudinem rei, hoc loco ediſſeram. Maxima eſt inſula maris Cretici; cujus etiam Poëtæ pluribus carminibus meminere. Ferunt, ducenta ac ſeptuaginta ferme millia paſſuum, forma oblonga, ab Oriente in Occidentem patere; lata, quinquaginta; aliis alia metien-

Digitized by Google

1667. tientibus, aliaque ratione. Qua pertinet ad Auſtrum, fere eſt importuoſa. Centum urbibus, uti proditum eſt, olim fuit clara; viriſque atque armis potens. Cœlo miti ac leni eſt; agroque ferax; oleo, vino, ac lacte abundat; cedro quoque, ac melle, & cera, varioque frugum genere; dictamno celebratur. Nullum eſſe ibi animal, aut gigni dicitur, quod noceat, uno excepto phalangio. Seſſores habuit, omni ævo piratica infames; aſtuque nobiles, & perfidia; ut proverbii loco olim fuerit: *Cretenſis cum Cretenſi*; ſpecies nempe improbi agentis cum improbo. Atque initio quidem Regibus paruere; deinde Ducibus; mox, Cretici virtute, Populo Romano; tum Græcis Imperatoribus; poſtremo Saracenis, qui diu eam obtinuerunt. Hanc deinde his bello eripuit Balduinus, qui Imperium tenuit Orientis; Bonifacii opera maxime adjutus, qui regnum habuit Montisferrati; cui etiam Imperator dono dedit; a quo tandem Veneti grandi pecunia ſunt mercati; eamque ſtatim Patres in Provinciæ formam redegere. Quoque facilius in officio Cretenſes continerentur, Veneta Colonia, Senatus juſſu, continuo deducta eſt; eaque conflata partem magnam ex Nobili-

tate;

tate; illique agri ſunt aſſignati, ut perpetuo ha- 1667.
berent; ea tamen lege, ut equitum, peditumque certum quiſque numerum ſuo ſumtu aleret, & exerceret. Plebs deinde ſic decuriata, ac centuriata eſt, ut terra, marique, cum uſus poſceret, promtam operam Reipublicæ navare poſſet. Magiſtratus quoque, qui, aut juridicundo, aut rei præeſſent militari, ita Senatus tribuit, ut minores alios urbes ipſæ darent; alios autem majores, ſtatis temporibus, cum imperio ac poteſtate ipſe mitteret; quorum is fuit ſummus, qui pace, belloque inſulæ imperitavit; quem Veneti Proviſorem, alii vero Legatum appellant. Atque, ut ſpecies eſſet aliqua, quæ decus ipſum regium, ac Venetam Majeſtatem modo aliquo referret, Senatus cenſuit, ut Candiæ unus eſſet aliquis ex deducta Nobilitate, qui, Ducis nomine, ita reliquis, qui in inſula eſſent, antiſtaret; ut Legato tamen minor eſſet imperio, non dignitate. Quæ diu valuerunt; nempe ab emta fere inſula, quod anno evenit a Chriſto nato MCXCIV. ad annum MDCXXXXV. quo primum bello a barbaris tentari; reſque præclare conſtitutæ permiſceri cœperunt; bellique hujus Cretici ardo-

1667. re medio Candiam venit Maurocenus, ſecundum Imperator, uti ſupra demonſtratum eſt; quam ſtatim circumiit; atque ex præſenti copia communivit. Urbs eſt triquetra, mœnibus firmiſſimis, in ambitu fere trium millium. Qua vergit in Septemtrionem, mari alluitur: parte dextima portum habet ſatis amplum; ſatiſque ab omni impetu ventorum tutum. Latera deinde duo, quæ pertinent ad loca inſulæ mediterranea, propugnaculum conficiunt, quod appellant Martinengum. Ternaque ad Occidentem propugnacula urbem muniunt, modico atque æquali fere ſpatio invicem diſtantia; quorum uni Bethlehemiticum nomen eſt; alteri Panigra; tertio D. Andreas. Tria item alia ad Solem Orientem; quibus nomina hæc ſunt indita: Jeſus, Victurium, Sabulonaria. Foſſa extrinſecus quoque ambit; ingentiſque operis munimenta. Ac longe reliquis propugnaculis pulcritudine, ac magnificentia Martinengum antecellit; quod etiam Coronam D. Mariæ civitas appellat; at mole Victurium antiſtat, unde lorica muri, quæ eſt ad lævam; quaque urbs eſt infirmiſſima, maxime tegitur. Quibus omnibus factum eſt, ut tota Græcia nulla alia urbs ſit, quæ cum

hac

hac conferri queat, aut loci ingenio, aut opera manuque, aut ſplendore ac magnificentia publicorum, privatorumque ædificiorum. Quam barbari, neque ita poſt multo, quam venit Maurocenus, acriore obſidione circumdedere; qua terror eſt ingens injectus civitati. Crevitque mox, cum agi ad mœnia vi, ac furore quodam cœptum eſt. Achomates enim, de quo ſupra demonſtratum eſt, diligenter agitabat; homo non tam imperio ac poteſtate cæteris antiſtans, quam animi ſævitia, ac diritate. Iſque palam prædicabat, ſe ſuorum cæde, ſi neceſſitas poſtularet, vel ad quinquaginta millia, Candia tamen potiri velle. Qua in re turpiter erravit. Summæ enim defuit alterum tantum, eoque amplius. *1667.*

III. Ac per ipſa initia oppugnationis, cum omnia ubique arderent, & clamoribus fremerent, accidit, ut Imperator bis vulneraretur. Eaque res multitudinem exterruit. Spes enim, opeſque civitatis in eo ſitas omnes, arbitrabantur. Sed poſtquam in Victurio, ac Bethlehemitico ſæpius apparuit; huc deinde, atque illuc diſcurrere, conſulere, fortiterque agere, & cohortari animadverterunt; timeri deſitum; cun-

ctique

1667. ctique magna vi, atque animo munia exſequi cœpere. Sed Achomates in dies magis urgebat; oppugnandæque urbis rationem tenuiſſe hanc dicitur; atque in illa ratione Cuſſeimum, qui ante ſe urbem tentarat, magnifice contemſiſſe. Principio Novam-Candiam funditus evertit; idque eo conſilio, ut, omni ſpe ſublata eo ſeſe recipiendi, miles audacius pugnaret. Deinde, qua Cuſſeimus annis ſuperioribus ad urbem egerat, ea ipſa parte copias aliquot admovit; majoremque hominum numerum a Corona, quæ eſt ad mare; quæque ad Occidentem pertinet. Tum propugnacula ſuorum aliis alia oppugnanda attribuit: Martinengum quidem homini ferociſſimo, qui militibus præerat, quos barbari Janiſſaros appellant: reliqua ordine præfectis reliquis, qui oppugnandi ſcientia antecellerent. Ipſe poſtremo cum cæteris copiis ad vallem amnis Jophyri conſedit, ubi tutus eſſet; unde etiam, ubi res poſtularet, præſto omnibus eſſe poſſet. Eodemque modo Maurocenus rem partivit; urbiſque partes tuendas dedit, alias aliis, fortiſſimis quibuſque; in his Panigra Barbarus Legatus tenuit. Hieronymus Battalea Martinengum. Chiro erat Villa, vir bello ſtrenuus,

qui

qui copiis præpoſitus erat terreſtribus Veneto- 1667.
rum. Ei præcipuus, quem tueretur, locus nullus datus; juſſuſque eſt, quo res poſceret, celeriter accurrere; manuque & conſilio opem ferre. Hiſque in hunc modum utrinque diſpoſitis, Achomates fortiſſime agere cœpit. Viſuſque eſt, initio vires omnes ſuas, ut noſtros exterreret, effundere voluiſſe. Uno enim, eodemque tempore ad Coronam vi magna irruit, ad Bethlehemiticum, ad Panigra; ac celeritate quadam incredibili aggeres plures egit; caſtellaque exſtruxit; unde diu noctuque urbis opera, ac munimenta plurimis tormentis divexavit. Simul ollæ igneæ innumeræ, ac ſaxa prægrandia eo adjiciebantur, viſque immanis ſagittarum. Moliri præterea pleraque, quo tempore hæc facta ſunt, ſub terram inſtituit, foſſas præaltas, in quibus tutus miles agitaret; cuniculos, quibus ſuffoderet urbis munimenta. Quibus perficiendis, locorum indole etiam barbarus adjutus eſt, quæ faciles effoſſiones præbuere. His tamen tot, tantiſque rebus Veneti non ſunt territi. Magna enim animorum audacia, ex omnibus locis, quibus vi ſumma appetebantur, reſtitere. Ex mœnibus, ex propugnaculis,

ex

Digitized by Google

1667. ex vallo aſſidue jaculari; crebro deinde irruere in ſtationes, caſtellaque exædificata; puteis, vineis, cuniculis pluribus hoſtium cuniculos magna diligentia excipere; ibique idemtidem cum barbaris fortiſſime pugnare. Eaque Achomati curam ingentem injecere; ac tum demum quidem multum de re timere, ac dubitare; & Cuſſeimo, cujus conſilia, actaque omnia ſæpius in ſermonibus proſciderat, æquior atque humanior eſſe cœpit.

IV. Spiritus tamen rurſus ingentes ſumſit, poſtquam ex Græcia, ac minore Aſia magnæ militum copiæ advenere; quorum cadaveribus iter ſibi in urbem aperiendum putavit. Callidumque fuit illius cogitatum, ut nova quadam ratione cuniculi conficerentur, quibus, aut noſtris imprudentibus irrumperet in munimenta, aut etiam prudentibus, acriore prœlio manus ſub terram cum iis confereret. Longius itaque fecit initium fodiendi; cuniculumque ingentis latitudinis agere ad Panigra, atque urgere inſtituit. Id ſtatim ac Barbarus, & Chiro e terra intellexere altius egeſta, operam continuo occultiorem imperarunt, qua hoſtibus recta obviam iretur. Jamque propius aberat, ut noſtri

in

in barbaros inciderent, cum repente apparuit, 1667.
altiorem effoſſionem ab illis confici. Tum Veneti, ut interciperent, eam operam e loco navarunt, ut majoris altitudinis cuniculum perficerent, quam quantæ eſſe videretur eductio illa barbarorum. Quod cum Turcæ deprehendiſſent: namque facile, aure admota, operam manumque fodientium excepere; cuniculum contra ipſi alium magis depreſſerunt; eoque ſtudio, ac certamine factum eſt, ut recta ad ima pedes nonaginta itum ſit. Quibus evenit, ut, qui ex noſtris foderent, in barbaros inciderent fodientes; idque ſæpius effectum eſt. Et cum his quidem primum iis ferramentis, quæ, ut foderent, in manibus erant; deinde ſubeuntes utrique armati, ferociſſime ſub terram pugnarunt. Crebro etiam contigit, ut, qui cuniculos profundiores agerent, quo hoſtem perderent ſupra fodientem, altioribus cuniculis ab hoc celerius perfectis, ac ſuccenſis, miſerum in modum illi diſperirent. Eaque ſub terram dum aguntur, ſupra Achomates ad Panigra ac Bethlehemiticum vi magna, atque impetu agitabat; ſibique in animum induxerat, aut ea parte, aut nulla alia præterea capi urbem poſſe.

Digitized by Google

1667. Namque animadverterat, levi eſſe munimento Bethlehemiticum; male autem Panigra exædificatum. Dies igitur triginta ipſos, diu noctuque id egit, ut cunctis fere viribus in munimenta illa duo ferretur; daretque operam, ut omni ratione potiretur. Sed cum cerneret, ſuorum ingentem cædem fieri in dies magis; nihilque eos proficere; nec tanta induſtria, ac ſanguine quicquam poni; animum ad rem aliam vertit. Spatium enim diu contemplatus, quod inter bina erat propugnacula, eo continuo uti parat. Nempe eo fere medio, viam erui ad urbis foſſam, de qua ſupra demonſtratum eſt, altiorem jubet; eo conſilio, ut, ſi obtineret, in urbis muros ſtatim irrumperet, miſſis propugnaculis. Quod Venetis caventibus diutius occultari haudquaquam potuit. Barbaris igitur; uti imperatum erat, itum conficientibus, conficere illi contra vi magna inſtituerunt; acuque adhibita magnetica, qua via ad hoſtes facile indicabatur, brevi in opere hi reperti ſunt. Quod ubi evenit, prœlium horribile atque atrox ſubtus in foſſione factum eſt; quo plerique omnes cecidere, qui pugnarunt; cum ars nulla, qua ictus in arcta via vitarentur, aut ad ſalutem lo-

cus

cuſs ſuppeteret. Quibus omnibus ab ea opera 1667. Achomates deterritus, rem novam comminiſcitur; ut antra pleraque, ac ſpecus deprimi altiſſime juberet; eaque igni ac fumo undique compleri, fœdi odoris ac peſtilentis; eaque re obtinuit, ut eorum plurimi, qui in opere verſabantur, ſtatim conſumti ſint. Quod primo Venetis metum ingentem injecit; nulluſque fere inventus eſt, qui accedere ad opus auderet, cum animadverteret, eo opere ad certam mortem ſeſe projici. Quæſitum itaque celeriter eſt, quonam maxime modo vis veneni illa pelli poſſet; atque in eam rem multum urgente Mauroceno, remedium tandem inventum eſt; fumus nimirum combuſtæ juniperi, vinique epotus flos; quo peſtis illa devicta eſt; eoque maxime tuti, Veneti ad operam rediere.

V. Interim ad illa propugnacula, de quibus ſupra demonſtratum eſt, magna ferocia res utrinque gerebatur. Turcæ ſtrenue invadere, & oppugnare; Veneti contra fortiſſime propulſare, aut erumpere. Fieri magna ſtrages. Imperator vi ingenti animi adeſſe; huc illuc curſare, monere, cohortari; interdum minitari; præmia, honoreſque ſæpius polliceri, & oſtentare. Quo-

Digitized by Google

1667. que loco res majore diſcrimine foret, eo ſtatim advolare; conſilioque, aut manu providere. Eaque dum agit ſatis impigre, pene interiit. Fruſto enim lapidis, tormento ejecti, humero vulneratur, quo percuſſus, dum refringitur aliunde, in humum prolabitur. Eodemque tempore trierarchi duo graviter ſunt vulnerati, Bartholomæus Piſanus, & Hieronymus Priolus; quique per hoc tempus urbis præfecturam obtinebat, Laurentius Piſanus. Chiro etiam Villa ac Barbarus, terra, cuniculorum vi, rapidius in altum projecta; idque non ſemel; propemodum ſunt obruti. Ceciditque vir fortiſſimus, Baronius Veronenſis, qui ordines ductabat, glande ictus plumbea; quem Imperator diu deſideravit; cujus virtutem multis laudibus, datis de ea re ad Senatum litteris, deinde celebravit. Eoque modo, quartum jam menſem urbs oppugnabatur; barbarique tot vulneribus ac ſuorum cæde nihil quicquam profecerant; pulſique longe a munimentis, in opere jacebant; ac timidius in dies magis agitabant. Denique laboris pertæſi, fremere ac rem miſcere in caſtris cœperunt. Porro palam dictitabant, capi urbem nequaquam poſſe; ultraque tendere, eo dumtaxat

xat

xat pertinere, ut milites diſpereant. Niſi con- 1667.
ſulat Achomates, ipſos ſibi conſulturos. Quæ hominem exterruere. Itaque ancipiti malo, ſuorum juxta, atque hoſtium metu permotus, dolo rem agere inſtituit. In vulgus edit, Venetum Imperatorem, de urbe deſperantem, belloque feſſum, ut dedat, operam dare; tantummodo poſtulare, ut bonis pactionibus. Interea per litteras, ac fidiſſimos nuntios clam petiit a Mauroceno, ut ſibi Hieronymus Javarina, qui erat Senatui a Secretis, mitteretur, quocum de conditionibus pacis ſibi diſceptare liceret. Iſque confeſtim ad Achomatem miſſus eſt; cujus juſſu, exercitu inſpectante, ad vallem Jophyri eſt exceptus. Quo factum eſt, ut barbari vera eſſe crederent, quæ fraude Achomatis paullo ante manarant, agi jam de deditione. Porro Achomates neque videre Javarinam; neque cum eo colloqui quicquam voluit; hominemque Cydonem abduci juſſit; ibique arctiſſima cuſtodia detineri. Quod commodiſſimum ad res duas ſibi arbitrabatur; ut, ſpecie legati, quaſi de deditione diſceptantis, milite uteretur promtiore; tum, ſi potiri urbe nequaquam poſſet; indeque ex ea re ſeditio aliqua ori-

1667. oriretur; continuo paciſceretur cum Javarina.

Per idem tempus dona ab Rege ad Achomatem allata ſunt: acinaces, ac veſtis multa, & pretioſa; cujuſmodi Imperatoribus, cum quæ militiæ ab his aguntur, maxime probantur, ab Regibus Turcarum mitti ſolent. Quæ dolum hominis plurimum juvere; barbarique his vehementer permoti, in officio atque opere manſere. Hiſque omnibus alacrior ad rem gerendam factus, ſimul magna vi agere ad Panigra, ac Bethlehemiticum, ſimul pollicitationibus tentare noſtros milites, ut ad ſe deficerent, & oppidanos cœpit. Quæ nihil profuere. Interim accidit, ut in urbis foſſa hoſtes repente apparerent. Id vero tantum pavoris, ac formidinis noſtris injecit, ut eodem fere modo trepidatum ſit, ac ſi urbis mœnia illi tenerent. Fugaque e ſtationibus fieri cœpta; cum continuo Maurocenus, certior de re factus, advenit. Eum ferunt, cum cerneret milites fugientes, humi procubuiſſe, vota nuncupantem, precantemque Deos Immortales, uti fœdam ſuorum fugam ſiſterent; voce tum plurimos, manu pleroſque ferocius retinuiſſe; blandiuſque mox homines hortatum, ut religionis, ut ſalutis, ut

Rei-

Reipublicæ memores eſſent, eo univerſos ad- *1667.*
duxiſſe, ut magno impetu ſeſe in hoſtem conjicerent, facta eruptione. Tum vero magna utrinque ſtrages facta eſt; eaque aucta multitudine cuniculorum dirumpentium, quibus plurimi ſunt obruti. Fuere in his Hieronymus Juſtinianus, qui annonam curabat, Michaël Cremonvillius, Gallus, Tribunus militum, & Caſſarus, qui ordines ductabat. Chiro quoque, cum ad Panigra fortiſſime agitaret; eique in munere adeſſet propter Bartholomæus Grimaldus, icti uterque propemodum interiere. Quodque Mauroceno magno dolori fuit, periit in Bethlehemitico Laurentius Piſanus, vir ſtrenuus, multiſque belli facinoribus clarus. Eademque fortuna barbarorum fuit. Magno in honore erant apud Achomatem Muſtaphus, Haſſanus, Uſſaimus, Oſmanes, Sciauſius; iidemque præditi imperio ac poteſtate; quibus adjutoribus mira quædam opera patrarat. Hi omnes, cum ferocius agerent, atque urgerent in noſtros irrumpentes; diuque impigre eſſent digladiati; omnes poſtremo gladio occubuere. Qua plaga Achomates propemodum concidit. Tot enim viris fortiſſimis, clariſſimiſque amiſſis, belli ſcienti-

ti-

Digitized by Google

1667. tibus, boniſque conſilio, rem tantam arbitrabatur perfici non poſſe. Diuque ac noctu anxius, ſolicituſque erat. Dolum meditabatur, cum virtute vincere non poſſet. Litteras in urbem crebras jacere, aut mittere, quibus oppidanos, milites quoque hortabatur, uti urbem dederent. Id ſi fieret, læta iis omnia fore. Opes, honores, poteſtates polliceri; quæque prima mortales habent. Contra ſævitiam, diritatem, crucem, ſaxum, uncum, mortem minitari, ſi pergerent aſperi, ac duri eſſe; urbemque contumacius, quam dedere, tueri mallent. Eodemque tempore aſtu cum Mauroceno agere. Namque inducias aliquot dierum poſtulabat, quibus de pace commode agi poſſet; quæ Maurocenum, qui jamdiu mentes barbarorum, animumque norat, minime fefellerunt. Neque enim Achomates inducias quærebat, uti pacem componeret, ſed ut fraudem faceret; quæ oppidani, aut milites moverent, opperiretur; paullulumque exercitus a labore conquieſceret. De pace enim Javarina miſſus erat, quocum diſceptari licuit. Itaque Maurocenus eas palam denegare; ac jam tum ferocius e muris, ac munimentis repugnare cœpit, cum Achomates avidius

Digitized by Google

vidius poſtularet. Quibus factum eſt, ut hic multimodis de ſumma rerum dubitarit. *1667.*

VI. Quæ cum agerentur, accidit, ut inter Rodulphum Vertmillerum, qui curabat tormentariam, & Barbarum Legatum, turbæ ac diſſenſiones ingentes eſſent, quæ nullius auctoritate, vel imperio cohiberi potuere. Quæ res his rebus, quæ tum agebantur, vehementer offuere. Litteris igitur ad Senatum miſſis, Maurocenus queſtus eſt; monuitque, quæ fieri oporteret. Neque ita poſt multo Vertmillerus in Urbem eſt revocatus. At Barbarus, hoc pulſo, acrius pugnare, & contendere cum Chirone cœpit. Quod bonorum animos plurimum offendit. Morum enim, ingeniique ſævitiam quamdam, & aſperitatem in Barbaro cernebant, quam averſabantur. Et Chiro quidem vocabatur; cum Barbarus, his ſemotis, arrogantius adverſari Imperatori ipſi inſtituit; cunctaque illius carpere, & vellicare. Poſtremo immodeſte facere omnia, ac dicere. Quod Senatus tulit animo iniquiſſimo; eique continuo legationem adimunt; in Urbem arceſſunt; atque in illius locum Bernardum Nanium ſufficiunt. qui dum in Cretam veniret, & munus caperet, imperant, ut Hiero-

Digitized by Google

1667. ronymus Battalea, qui in Claſſe erat, interea obiret. Sed Achomates, multum querens, ac dolens, cum animadverteret, neque dolum induciarum, neque, quod de foſſa tantopere conatus erat, proceſſiſſe, jacebat. Cæterum id memor, niſi urbem caperet, capitis ſe pœnam daturum, ſuorum fortiſſimum quemque, ac prudentiſſimum adhibet in conſilium. Poſtremo decernitur, uti quamcelerrime cuniculi tres ad Panigra agantur. His enim commodi aliquid afferri poſſe. Illique ſtatim inſtituuntur; quorum duos quidem Veneti e veſtigio delerunt; tertius, priuſquam occurri potuerit, ingenti fragore ac ruina disjectus eſt. Qua barbari magnis ululatibus impetum faciunt. Ea res noſtros vehementer terruit, quod intelligerent, hoſtes in eo eſſe, ut bicorni munimento, quod erat ad Panigra, jam jam potirentur. Sed poſtquam Maurocenus accurrit; hortarique cœpit vocibus, & exemplo; ingenti quadam animi vi in barbaros feruntur. Fit pugna atrox in vallo, quod erat ad munimentum, in qua plurimi utrinque ceciderunt. Eoque loci dies aliquot pugnatum eſt. Poſtremo Imperator, cum animadverteret, minore ſuorum numero in valli anguſtiis cer-

tari

Digitized by Google

tari cum immani quadam Turcarum multitudi- 1667.
ne, deſeri jubet. Is fuit dies, qui ante diem eſt XII. Kal. Novembres. Quod fuit Achomati magnæ lætitiæ. Spes enim injecta eſt, Panigra tum capi poſſe; eaque via irrui in urbem. Continuo itaque tormentis aggreditur. Vineas plures, pluteoſque ad murum agit. Diu noctuque multimodis vexat. Voceſque undique, & ululatus illorum exaudiebantur; quibus omnibus eſt civitas perterrefacta. Hic virtus Imperatoris eſt maxime animadverſa. Nam omnibus territis, unus ipſe fortis, atque alacer, rem propemodum perditam, ac deploratam reſtituit. Namque balliſtas vaſti oris viginti quattuor afferri ſtatim juſſit; quibus uſus ſtragem ingentem hoſtium facit; repreſſaque eſt paulliſper hoc modo illorum ferocia. Cuniculos deinde plurimos imperat, quibus partem maximam opera diſcuſſit; uno ingenti denique, cui pulveris cadi trecenti inerant, agger ſubverſus tormentorum, quo Achomates plurimum fretus, de urbe cogitabat; hiſque dirumpentibus, innumeræ quædam barbarorum copiæ, aut ruina ipſa obrutæ, aut conſumtæ flammis ſunt. Quibus eſt terror maximus injectus hoſtibus; caſtriſque to-

Digitized by Google

1667. tis tumultuari cœptum. Vineæque plures adhæc deſertæ, ac ſtationes: fugaque plurium fœda eſſe. Quo tempore erupit Maurocenus; eoque res perducta illius virtute, ut ex miſera atque afflicta, læta ac firma facta ſit; quam poſtpaullo imbres etiam maximi juvere, quibus neque opus teneri ullum vetus, neque novum ullum exſtrui potuit ab Achomate. Quibus calamitatibus victus; ſimul ne proluvie locis humilioribus obrueretur, ſumit hibernacula haud longe ab urbe, locis ſuperioribus. Interim Javarina, de quo ſupra demonſtratum eſt, Cydone diem obit, quo loco dure nimis atque aſpere a barbaris habitus erat. Cujus mors Achomati vehementer diſplicuit, ea dumtaxat de cauſſa, quod ſpecies de pace illius obitu concidiſſet; timeretque, niſi alter mitteretur, ne turbæ illæ iterum redirent. Petiit itaque per litteras a Mauroceno ut mitteret; quocum ſibi de pacis legibus diſceptare liceret, ac bellum ponere. De qua re tota Patres continuo certiores facit. Senatus habetur; dictæque ſententiæ, quibus mitti aliis placuit, aliis diſplicuit. Atque hi quidem plurima attulere, quibus omnino aliter cenſerent:

Tur-

Digitized by Google

Turcarum malam fidem; idemtidem perfidiam accu- 1667.
ſabant. Siquos peterent ad ſe mitti, eo petere, ut rem unice ſuam quærant, non utrinque conſulant; tum qui mittantur, indignis fere modis a barbaris haberi. Nempe militum præſidia modo addi; modo in carcerem conjici; e locis modo in loca pelli, fœda, aſpera, caliginoſa. Denique ludibrio, & contemtui eſſe. Addere de Achomate: *Spem nullam bonam de illo eſſe, aut umquam fore, quem toties infeſtum & inimicum experti ſint. Docere, viros plurimos, eoſdemque clariſſimos, illius injuria atque improbitate diſperiiſſe. Pacem ab eo afferri, venenis malis imbutam; paciſque nomine inſidias parari. Nam quæ ulla ſpes otii, ac pacis eſſe ab Achomate queat, qui juxta hieme, atque æſtate, diuque fere, ac noctu agat ad urbem Candiam; idque intelligat, ni capiat, capite pœnas daturum? Nam, quod jactet, in ſua eſſe poteſtate bellum, ac pacem, eo dumtaxat ſpectare, ut ſuos in fide contineat; viresque adverſariorum per fraudem cognoſcat. Hiſque de cauſſis, honeſtius atque utilius omnino ſibi videri, parcere laboribus, vitaque civium optimorum; Græcaſque artes, atque aſtus eludere ac vitare; retiaque iſtiuſmodi, quæ nere barbari, atque objicere conſuerint, dilacerare ac frangere; Populiſque oſtendere, ac Gentibus externis, ſatius videri, in ſummo*

1667. *mo rerum diſcrimine, quam ſumma cadere, particula, aut recula periclitari.*

Cæteris tamen aliter viſum eſt: *Contendere, hoc ipſo rerum diſcrimine pleraque inopinata, & grandia contingere poſſe, quibus univerſa facile collabeſiant, aut dilabantur. Conſilio fieri audaci; quodque prudens vetuſtas, omnino rejecerit; ſi bellum ei Regi ſempiternum indicatur, qui viribus firmior, potentiorque ſit; nec cum eo, neque de pace, neque de re bona ulla mentionem audire homines velint. Urbes tamdiu, natura lege retineri, quamdiu defendi queant. Ubi non queant, nil neceſſe eſſe, velle reliqua diſperire. Tum facile ex veterum memoria, atque ex omni antiquitate conſtare, ſiquando Rex præpotens in animum induxit, provincia omnino, aut urbe aliqua potiri, ita eveniſſe, ut, ſi vi primum nequaquam quivit; tempore tamen quiverit, cui omnia cedant. Quippiam deinde in loco defendenti, id utique uſuvenire, ut, quamvis diu pleraque ad tuendum tenere poſſit, veſtigium tamen idem loci diu tenere non poſſit, aut vitam. Mortalium neminem, quid de Candia futurum ſit, nunc ſcire; imo vero omnes timere jure de illa debere. Urbes, provincias, regna nunc pleraque, optima ac ſanctiſſima religione abjecta, barbaris parere; eaque documenta eſſe debere, quibus hoc tandem homi-*

nes

Digitized by Google

nes intelligant, hæc ipſa eadem cæteris evenire poſſe; 1667.
pacemque, etſi non ſit utilis omnino, eſſe tamen ſæpe temporibus neceſſariam. Porro ſi deterius atque acerbius aliquid contingat, qui dolor, qui æſtus, quique angor animi futurus ſit, hominibus reputantibus, aures Achomati non præbuiſſe, de pace hortanti, & commonenti? Turcarum morem hunc fere eſſe, ut de rebus ſuis ipſi per ſe cum aliis agant; neminem præterea, qui agat, adhibeant; quod intelligant, alium, ſi agat, amore, aut odio plerumque duci, aut re ſua privata quoque. Denique civium præclarorum vitas, totque hominum millia bello diſperire; qui ſervari tamen facile poſſent, uno aliquo dumtaxat, pacis cauſſa, carceri, aut morti oblato.

VII. Sententia hæc vicit; ac Senati decretum factum eſt, ut ex his unus, qui a ſecretis ſit, cum mandatis mittatur. Sed, poſtquam eo ventum eſt, ut ex illo numero nomen legeretur, quemadmodum in ſententia dicenda, ita etiam in deligendo, magna diſſenſio fuit; extractaque res eſt in ſequentem annum; quo tempore, cum pleriſque de cauſſis de pace mentio nulla foret; nullus quoque lectioni locus fuit; manuque cerni viſum eſt. Eaque dum aguntur, petiit Chiro, ut ſibi cum cohortibus,

quas

1667. quas ſecum una in Cretam duxerat; quaſque tradiderat Dux Allobrogum; domum redire liceret; quo Allobrox revocabat. Poteſtas fit a Patribus; ejuſque locum Alexander Mombrunius Gallus continuo tenuit; vir apprime rei militaris prudens; multiſque præſtans egregiis facinoribus; quique in ſenecta gravi magna adhuc erat vi animi: acer, impiger, laboris patiens, minime pecuniæ, laudis plurimum gloriæque cupidus. Porro Patribus cura hæſerat Candiæ tuendæ. Quoque Maurocenus, cæteris omnino liber, rei unice operam daret, Catharinum Cornelium copiis navalibus præficiunt; cujus ea maxime provincia foret, uti circumveheret; caveretque, nequa militum ſubſidia, aliave bello utilia Achomati adderentur. Præterea ſupplementa, commeatus vim magnam, pecuniam, tela, arma, quæque alia bellum poſcebat, mittere. Delectum in Italia habere, externiſque Regionibus. Simul a Pontifice, a Cæſare, a Regibus, Reguliſque auxilia poſtulare.
1668. Eaque cuncta Bernardo Nanio, Candiæ Legato, tradita; qui Venetiis proficiſcens, brevi Candiam pervenit. Imperatorem invenit, id unum impigre diu, noctuque agentem, ut urbem

bem undique muniret; tormentis ac milite in- 1668.
ſtrueret; omniaque pararet, quæ utilia forent. Panigra refecit, uberiuſque reſtituit; milites, qui cum Nanio venerant, urbis opportunis locis diſpertivit. Quibus omnibus ſpes civitati injecta eſt, fore pulcra ac læta omnia. Claſſem quoque, cujus magnus ad eas res, quæ parabantur, erat uſus, remige ornavit. Magnique ea in re æſtimata eſt opera Georgii Mariæ Vitalis. Is natione Corſus fuit, qui pollens ingenio, atque opibus, bellique artibus clarus, Candiam venit, quo fama Imperatoris, reſque admirabiles ab illo geſtæ; quæque tum maxime gerebantur; hominem pellexerant; & Venetæ Reipublicæ dignitas ac majeſtas, quam Gens Corſorum, virtute, atque armis præſtans, colit comiter; ejuſque imperium ac poteſtatem longe ac late florere vult; atque a Diis petit. Eoque Vitalis naves aliquot, quas ære ſuo inſtruxerat, adduxit; eique præcepit Imperator, uti Ægæi inſulas manu illa adnavigaret; indeque hominum abriperet, quam poſſet plurimum; quibus deinde eſt Claſſis ornata. Quo nomine, aliiſque pluribus ab Imperatore celebratus, & honores alios a Patribus obtinuit, & Eques eſt

1668. renunciatus. Interea Achomates ſedulo egerat, uti terra marique maximis viribus foret, nihilque deeſſet, cujus uſus eſſet aliquis. Eaque ubi ex ſententia optime inſtruxit, animum ad urbem adjecit. Ver aderat; quo tempore litteræ Bizantio crebræ a propinquis & neceſſariis ſunt allatæ: *Ni caperet, capite pœnas daturum*. Nova igitur arte tentare rem cœpit. Primum ad Panigra, atque Bethlehemiticum magnas copias effudit; tum, quod antea nunquam fecerat, ad Sabulonariam, & Divum Andream; quæ loca, beata, ac tuta manu, ſituque ad eam diem homines crediderant, ita ſepta, ac munita, ut inexpugnabilia vulgo haberentur. Rem omnino impigre agitare: militis & Imperatoris munia fortiſſime exſequi: noctu diuque huc, illuc curſare, cavere, invidere, animum attendere, ne quis in opere ceſſaret, aut a ſignis abeſſet. Frequens in prima eſſe acie, omneſque hortari: præmia ducibus, & honores alios, alioſque; quique principes militum muros ſcanderent, aut irrumperent, vim pecuniæ ingentem, veſtes, decurionatus, ſuo, Regiſque nomine polliceri. Quibus plurimi illecti, captique, cum audaciſſime anniterentur, miſere hac, aut illa clade in-

interiere. Noſtri milites hoſtium multitudine 1668.
propemodum obruti, lociſque pluribus diducti, ſtrenue tamen corpora objectabant, tribunorum ac centurionum vocibus, atque hortatu acti: ad hoc Jacobo Fuſcareno, & Johanne Baptiſta Calbo, Venetis Patriciis, viris fortiſſimis impellentibus, qui utrique, dum adſunt, cogunt, impellunt, graviter ſunt vulnerati. Eaque dum fiunt, Achomates interea, ad promontorium, cui nomen Fraſchia, quod ſpectat ad Occidentem Solem, atque abeſt Candia duodecim fere millibus paſſuum, caſtellum ædificat, ac milite ornat: idque eo conſilio, ut quæ copia ad ſe illac perferretur, in tuto eſſet; indeque vis hoſtium, atque inſidiæ e ſinu pellerentur, quem natura pone ediderat.

VIII. Sed cogitant, aut moliuntur homines ſæpe, quæ ſibi noceant, aliis proſint, cum contra ipſi maxime voluerint, dum facerent, vel meditarentur. Namque Achomati in mentem venit, eripere vi Venetis Diam inſulam, his commodam ad multas res, ſibi incommodas. Ibi erat Venetis aquatio, ibi lignatio, non raro frumentatio; eo navigatio denique ex Italia: cunctaque hæc tuta, ac firma. Ea ut tolleret,

1668. ſtatuit eripiendam. Quod factum tamen Turcæ exitio pene fuit; peperit enim prœlium, quo cædes barbarorum magna facta eſt; quoque prœlio divina quædam virtus Mauroceni enituit; quo etiam nomine cunctis gentibus commendatur. Nocte enim intempeſta, & tenebris horridiore cum hoſtibus pugnavit mari medio: quo tempore neque, qui rei ſummæ præeſt, ordine imperare; neque, qui ſubeſt, facere imperata; unaque fortuna, huic læta, illi ſæva, ſuperba ac potens, libere videtur dominari; nec locum ullum ducis prudentiæ facere velle. Quod ſecus accidit illa pugna. Sed res ipſa brevi prodatur. Turca itaque, uti Dia potiretur, quærit, quæ copia in loco ſit. Comperit naves majores paucas: tum Laurentium Cornelium inter inſulam & Cretam eſſe in ſpecula, ſeptemque triremibus præeſſe. Eaque fere; quæ ipſa Achomates ſtatim ſprevit; ac ſic ſubduxit, vi victa Corneliana, captum iri Diam. Continuo igitur Duracum ad ſe vocat, piratica hominem inſignem. Quæ ad rem vult, imperat, illique triremes duodecim dat. Promiſſis onerat: claſſis univerſæ præfecturam pollicetur, ſiquidem capiat. Noctu jubet in Cornelianas, quo facilius nihil timen-

men-

menes profligaret; tum his afflictis, Diam ſtatim advolare, portuque potiri; ibique quicquid offenderet, incendere. Utique celerius, tutiuſque res conficeretur, ducem addit, cui nomen Calippo, rerum talium peritiſſimum, prætorianos ad bina millia. Nequid exiret ejuſmodi conſilii, fecit ſedulo: quod tamen exiit celeriter: neſcio quo facto, & Mauroceno diligentiſſime cuncta, quæ fierent ab Achomate, terra marique, invidente & explorante. Igitur Maurocenus, tali re cognita, naves triremes viginti quattuor deligit, omnium firmiſſimas. Eaque manu, Nonis Martiis, Candia magna feſtinatione proficiſcitur. Neque ita poſt multo Duracum ad D. Pelagiæ offendit, ſecurum metu; idque unum agentem; quemadmodum Cornelium imprudentem opprimeret. Continuo aggreditur, nempe ſecunda noctis vigilia, initio fere. Pugna utrinque fit ſæva; rem aſperiorem mari aſpero, ac nocte horridula efficiente. Barbari improviſa re nil terreri: ſtrenue agere: noſtros undique irrumpentes magna vi pellere; majore etiam noſtram Imperatoriam adorti, rem maxime ancipitem fecere. Scilicet triremes illorum tres, præter cæteras, quæ erant omnium 1668.

for-

1668. fortiſſimæ, circumſedere: ac ferocia quadam, atque impetu agitantes, deprimere, aut capere conabantur: eaque una re deleri poſſe id prœlii exiſtimarunt. Id noſtri cum animadvertiſſent, duabus continuo ſubſidio venere, quibus pulſi illi primum: mox validius Aloyſio Contareno agente, una capta, binæ reliquæ dilabuntur. Cæteris tamen avidius pugnabant, quarum unam Maurocenus cum cerneret valentiſſimam, noſtriſque maxime infeſtam, in eam fert: manu decernit; ac tandem potitur.

IX. Duracus interea cum Nicolao Polano acerrime certabat: eumque in extremum prope diſcrimen adduxerat. Namque navarchum interfecerat: & vulneribus aliquot Danieli Juſtiniano, qui ærario præerat, illatis, in eo erat, ut triremem caperet: quæ tamen ſervata eſt, adventu Imperatoris. Deinde Prætoriæ ambæ invicem concurrere: tenuitque pugna horas ipſas tres, ut neutram in partem ſeſe fortuna daret. Hic licet animadvertere, quantum in bello prudentia Imperatoris valeat. Res erat vehementer dubia ac trepida. Si Veneti ſuccumberent, præter probrum, Dia amittebatur: quam rem incommoda innumerabilia ſequebantur. Porro autem

tem

tem ſi barbari, magna gloria Imperatorem, Remquepublicam commoda plurima. Callidum igitur fuit Mauroceni inventum, quo Turcas terreret atque conficeret. Faces accendi imperat maximo numero: eaſque Prætoria diſponi. Idque poſtquam ſtatim factum eſt, illa undique collucente ſeſe infert mediis hoſtibus. Ea ſpecie ſunt illi perterrefacti. Nam exiſtimarunt, eo repente acceſſiſſe, ut ignes triremibus ſubmitteret, quibus omnia continuo conflagrarent. Latius deinde formido crevit, ubi ſignum eſt datum decernendi. Fugam barbari meditabantur, cum Duracus ſuos precibus, imperio, interdum minis ad pugnam impulit. Tum vero utrinque ſtrenue agi. Duracus, ut cæteros exemplo pelliceret, & inflammaret, primus audaciſſime, aut in primis ferire: miſſilia jacere: gladio etiam cædere, aut occidere: prœlium juxta facere, ut quam mari, terra potius, geri videretur. Eaque dum vi magna animi perficit, trajectus glande cecidit. Quo facto Veneti in navem tranſiliunt; eaque potiuntur: qui tenebant, pleriſque omnibus cæſis. Eodemque tempore Aloyſius Magnus, cui ſinus obtigerat, Calippum adortus, navim triremem cepit, qua vehebatur: 1668.

Digitized by Google

1668. tur: ipſum capere nequaquam potuit, ſtatim ſcalmo dilapſum, ac audivit, aut vidit obitum Duraci: alteram quoque poſt paullo. Reliquæ, prætoria capta, ac mox duabus, uti dictum eſt, deinde duabus, male acceptæ, ac propemodum fractæ, celerrime diffugiunt hac, illac. Cæſi barbarorum innumerabiles: vivi porro capti ad quadringenti: in his trierarchi quinque. Porro ex noſtris, qui potiti hoſtium, jamdiu miſere vitam trahebant, in his inventi ad mille ducenti: iique ſervati, ac priſtinæ libertati redditi. Cecidere hoc prœlio Georgius Fuſcarenus, & Johannes Franciſcus Cornelius, fortiſſime pugnantes: alii præterea hujus ordinis vulnerati, in quibus fuit Aloyſius Calbus, qui poſt paullo ex vulnere interiit.

X. Hac victoria Maurocenus magnis Imperatoribus, qui mari umquam conflixere, non æquari ſolum meruit, ſed etiam anteferri: vel nocte ipſa, & tenebris lucem tantæ rei, ac laudem præferentibus; & terra Græcia, quæ ſervatam Diam, qua Candia eſt conſervata, multimodis gaviſa eſt. Eaque poſtquam Venetias, & fama ipſa, qua nihil eſt mobilius, & nuntiis litteriſque Imperatoris ſunt allata, lætitia

quæ-

quædam ingens, & incredibilis totius Civitatis 1668.
ſuit; concurſuſque hominum ad Curiam, ædeſque Mauroceni facti ſunt, ſinguli de re tanta, & univerſi gratulantes. Patres continuo ſupplicationem indicunt; ac Diis Immortalibus gratias agunt: quibus rebus rite perfectis, ſtatim coëunt, ac Maurocenum, cum magnis laudibus in cœlum tuliſſent, Equitem creant. Sed is, victoria parta, Diæ portum undique communiit: præſidiumque adjecit navium plurium; quo factum eſt, ut de ea hoſtes minime deinceps cogitarint. Tum continuo Drepanum adnavigat, ut barbaris impedimento foret, Candiam auxilia ferentibus. Quo tempore Vitalis diſperiit, de quo ſupra demonſtratum eſt. Nempe incidit in Caplanum, qui claſſi præerat navium triremium quinquaginta trium, quæ hominem ductantem naves duas, ſejunctas a Claſſe reliqua, ſtatim circumſtetere. Cum fruſtra poſtularent, ut ſeſe dederet, ſumma vi tandem adoriuntur. Pugnatur utrinque acriter: fuitque pugna (quod incredibile omnibus viſum eſt) biduum ipſum. Poſtremo Vitalis interficitur; & navis capitur, cui præerat: altera, quam Leſcaſius Tribunus regebat: quamque defendere ab

Q im-

1668. impetu Turcarum nequaquam poterat, pulveri igni admoto, conflagravit. Atque hic quidem finis Vitalis fuit, viri fortiſſimi, quem Corſorum gens Martem ſuum appellabant; quem etiam diu deflere non deſtiterunt. Hunc certe Imperator magni fecit: ultuſque eſt, neque ita poſt multo, navibus hoſtium onerariis quinque captis: ad hoc, Leonardi Mauri opera, navibus duabus celſioribus.

XI. Interim Turcarum Rex Lariſſam venit, Achomati iratus, quod tamdiu in unius urbis obſidione hæreret: litteraſque ad eum miſit, quibus ignaviam ejus exprobrabat; mortemque minitabatur, niſi celerrime caperet. Quæ Achomatem perterruere. Itaque anxius trahere dies, noctesque: nec certam ſpem potiundi in re ulla habere. Poſtremo, animo confirmato, conſilioque habito, ſtatuit, quod minime antea fecerat, ſimul terra, marique urbem adgredi; eaque ratione rem tentare. Atque illa quidem, qua in altum vergit, levi munimento erat: quod tamen ſitum littore prope ultimo, ſiquando hoſtis ea invaderet, periculo vix locum facere viſum eſt: natura ipſa, ac mari ſummo rem tutanti. Ejuſque ad Divi Andreæ fuit modi.

di. Quæ Achomatem, metu actum, minime 1668.
detinuerunt. Molem jacit e regione propugnaculi. Ac primo quidem inutiliter moliri viſus eſt; quicquid jaceret, mari hauriente. Sed majore vi, operaque cum diu ageret, noctuque, tandem aquæ ſumma æquata eſt. Quo facto, reliqua celerrime, facillimeque omnia perfecit: opuſque littori admovit, unde in propugnaculum magno impetu irruit. Eademque vi, ac ratione agi juſſit eodem tempore ad Sabulonariam. Quæ Nanium Legatum vehementer implicuere. Sed is, periculis, bellique caſibus ſuetus, uti rem expediat, continuo operam dat. Caſtellum ædificat ad Sabulonariam: ipſeque præſens incumbit: quo objecto, barbari ſunt retardati. Spatium interea datum eſt, ut aggeres tranſverſi plures inſtruerentur, quibus navalia, quo Achomates ſpectabat, tegerentur. Alias quoque, aliaſque munitiones Divo addi imperat: eaſque multiplici tormentorum, ac balliſtarum genere ornari: quibus ex locis crebro Veneti erumpentes, hoſtium audaciam multimodis repreſſerunt. Quæ Nanius, dum magna vi animi, ac fiducia agit, aut præcipit: atque huc, illuc feſtinat; nec ſatis capiti conſuluit, glande

Digitized by Google

1668. caput ictus, interiit. Hæc dum fierent, Catharinus Cornelius interea advenit; unaque ſimul Mombrunius, de cujus habitu, ac moribus ſupra demonſtratum eſt, ad quem magna quædam in Galliam, & inaudita rumor attulerat de Mauroceno; quaque ratione ſeque, atque urbem Candiam defenſaret. Iſque magno ſtudio eo venit: ut virtutem oſtenderet; cerneretque os Imperatoris; eumdemque agentem præſens intueretur. Qui ſtatim ac pedem intulit, urbem circumiit: diuque ac multum munimenta contemplatus; quæ ſupra terram; quæque ſubtus forent, ſic tandem dicitur exclamaſſe: *Non homines, ſed Deos quoſdam ſibi videri talia feciſſe.*

XII. Porro Catharinus, bellandi, agendique cupidus, eum continuo ſibi locum, quem tueretur, deligit, cui plurimum diſcriminis inerat, ad Divi Andreæ; quo flos deinde, ac robur militum confluxit. Eo enim barbari vi ſumma nitebantur diu, noctuque. Iique, neque ita poſt multo, tribus caſtellis, quibus noſtri foſſam tuebantur, potiti ſunt: poſtpaullo etiam eo munimenti, quo roſtrum propugnaculi tegebatur. Quæ cum incredibili quadam celeritate egiſſent, majore etiam propugnaculum ipſum adgrediuntur.

Digitized by Google

tur. Verberant multis ordinibus tormentorum: 1668.
pleraque diſcutiunt: irruere conantur magno impetu. Quæ noſtros vehementer implicuere. Nam neque telo hoſtem lædere licebat, utpote ex aggeribus altiſſimis, ac ſupra caput quodammodo agentem: neque vero erumpere alicunde, eo illac univerſa copiis innumerabilibus obtinente. Itaque, cunctis formidine perculſis, Cornelius contendit, ſpem unam eſſe reliquam in cuniculis. ſi cito illi agantur, ſubrui poſſe aggeres, & opera deleri. Ergo e veſtigio inſtituuntur. Sed ſtatim ſaxum, quod ferro vinci minime potuit, qui agebant, offendere. Deprimi tum Cornelius humilius imperat, ut vitent. Eaque dum fiunt, calamitas rurſus alia: ut, qui foderent, ſpiritum iis ducere vix liceret. Qua in re callidum fuit illius inventum, ne deſererent. Folles plures jubet, quibus admotis, & creberrime agitatis aër immiſſus eſt, & foſſores recreati. Sed qua vi barbari hic nitebantur, eadem omnino ad pleraque urbis loca, Achomate impellente, illoque aſpere, agitabant. Panigra, Bethlehemiticum, Sabulonaria multis modis validiſſime oppugnata; militibuſque hac, aut illa clade abſumtis alii continuo, ac majore quidem

1668. dem copia additi. Noſtri vulneribus attriti, vel labore fatigati vix hominum impetum, ac ferociam ſuſtinebant. Brevique tempore Marcus Barbadicus, & Antonius Semiteculus, icti glande, ceciderant: quorum caſu militum animi ſunt vehementer debilitati. Urbs ipſa quoque plurimum exterruit. Multis enim partibus, ignium, & igniferarum glandium immani quadam copia, ab hoſtibus conjecta, miſere ardebat. Tecta locis pluribus diruta, vel incenſa, aræ, templa: decus ac forma ipſa fœda. Ad hæc lacrimæ, voceſque miſerabiles, & ejulatus ſenum, mulierum, ac puerorum mœrorem ingentem afferebant. In tanta hac clade, & miſeratione, periculoque rerum omnium, Conſilium cogitur. Sententiæ, veluti per ſaturam, & properantius dicuntur, quarum hæc fuit ſumma, ut Maurocenus, quo ſtatu res eſſet, quam ocyſſime id fieri poſſet, certior fieret, qui cum roſtratis in ſtatione erat, quæ ad ſcopulum eſt, quem cultores D. Theodori appellant: ibique jamdiu agitabat, ut in Caplanum incideret, de quo ſupra demonſtratum eſt, Lesbo Naupliam redeuntem, & cum eo pugnaret. Quibus cognitis, inde continuo is decedit: Candiam advolat: ad

bina

Digitized by Google

bina millia peditum urbi infert, & manum re- 1668.
migum, ad mille ducentos, quibus foſſoribus deuteretur. Caplani curam minime abjecit: Hieronymum Naugerium ſtatim in ſtationem ire jubet: illique navium longarum manum expeditam dat. Ipſe Candiæ eſſe voluit: ei communiendæ, tuendæque unice intentus. Quo factum eſt, ut militum animi, cæterorumque, qui in urbe erant, e ſummo timore in ſummam ſpem venerint, non pellendi hoſtis modo a mœnibus, quibus imminebat, ſed etiam profligandi. Nihil enim non effici poſſe ab eo credebant. Ac ſtatim principio propugnaculum adit Divi Andreæ. Sedulo circumſpicit, contemplatur; indeque periculum eſſe videt. Præſidium igitur auget: cuniculoſque plurimos imperat: intus quoque, proxime propugnaculum, & ab eo continenter circum alia propugnacula, & urbem fere, nova ac firma munimenta: nempe eo conſilio, ut, captis propugnaculis, integro opere barbari diſtinerentur. Quæ perfugæ Achomati ſtatim nuntiarunt. Iſque vehementer timens, ne, opere perfecto, dies extraheretur, aut etiam inutiliter ſumeretur opera; optimum eſſe ratus antecapere, & occupare,

1668. re, maximo impetu, maximoque numero militum nititur ad propugnaculum D. Andreæ. Biniſque locis murum disjecit: ita ut triginta paſſus, eoque amplius ruina proferretur. Eaque continuo manum militum fortiſſimorum irruere jubet: ipſeque præſens audaciſſime inſtabat. Quæ cum cernerent Cornelius, & Mombrunius, tum vero urbi vehementer timuere. Igitur uterque magna vi connixi, contraque objectis firmiſſimis manipulis, ter Achomatem pepulere. Sed, qua erat animi ferocia, metuque ab Rege, quo vehementius pellebatur, eo gravior redibat: id dictitans idemtidem: *Nihil intereſſe, hoc an illo leto diſperiret*. Pugnaque hoc modo diu extracta: noſtris a Turca; hoc quoque contra pertimeſcente. Poſtremo Achomates, ubi animadvertit, cædem ſuorum ingentem fieri; nec quicquam tamen ea re profici: nam ad bina militum millia amiſerat, neque in ruinam irrumpere licuerat: ſignum receptui dat.

XIII. Ea res noſtris magnæ lætitiæ fuit: quod malo ancipiti ac præſenti tum eſſent liberati: quieſque eſſe aliqua videretur, & ſpatium muri reficiendi. Quæ tamen brevi pleraque miſcuere. Namque apparuit, militum noſtrorum nume-

me-

merum iis eſſe pugnis vehementer imminu- 1668.
tum: claros præterea viros multimodis diſperiſſe, variove genere calamitatis eſſe afflictos. Adhæc Imperatori, cæteriſque, qui rei ſummæ præerant minime occurrebat, qua ratione copia ſuppleretur. Quæ plurimum terruere. Interim Achomates ad rem valentius redit. Aggerem jacit ad D. Andreæ, pari, qua fuit propugnaculum, altitudine; eaque multa vi parat ponte tranſmittere. Idque ipſum conatur ad Sabulonariam, quo loco ipſe actor, atque hortator aderat, quod Maurocenum ibi adeſſe cognoverat. Congrediuntur. Fit utrinque magna cædes. Denique Achomates pellitur. Quo tempore cecidere Profitius Turre, qui Allobrogibus præerat, fortiſſimique tribuni militum Marcus Zaccus, Jacobus Venturinus, Thaddæus Imota. Quibus factum eſt, ut ad ſummam paucitatem præſidium pervenerit. Conſilium tum indicitur. Quæritur ab Imperatore, quid facto opus ſit: breviterque ſententiæ dicuntur, quarum hæc ſumma fuit: Ut quicumque in Claſſe forent, qui ſe tueri armis poſſent, inde intro e veſtigio inferrentur: tum univerſi cum his una, dum oppidani in muris agitarent, fortiſ-

R ſime

Digitized by Google

1668. ſime erumperent. Alterutrum ea re futurum, ut vel a mœnibus hoſtis procul pelleretur, quem diutius vi illa agentem ferre non poſſent: vel per virtutem omnes interituros. Adhuc in Conſilio hæc erant, cum Thaddæus Maurocenus, celſiorum navium Præfectus, venit; cujus adventu omnium animi ſunt mirifice recreati. Nam, præter armorum, cæterarumque rerum, quas belli uſus poſcit, tria millia militum lectiſſimorum ſecum attulerat. Igitur Maurocenus, ſubſidiis in tempore confirmatus, Conſilium rurſus advocat. De virtute unumquemque, quam oſtenderint in ſententia dicenda, multis verbis collaudat, & morte pro communi ſalute obeunda, ſi opus foret. Orat, ut in eadem voluntate permaneant. Litteras Senatus recitat, quibus ſpes certa erat, ut major brevi copiarum vis adeſſet. Quibus ad rem gerendam alacriores facti ſunt.

XIV. Achomates interea, ſuis iratus, quod pellerentur, multum querens, ac dolens jacebat. Rex Lariſſa minitabatur: crebriſque litteris ejus ignaviam, atque inſcitiam aſperrime accuſabat. Adhæc ſedere illum otioſum, imperii cupidum, innixumque mulierculæ, ſuorum cla-

cladem proſpectare. Quæ hominem conficiebant. Feruntque idemtidem dictitaſſe: *Regem barbarum injuria, ac diritate mortales univerſos ſuperare*. Huic igitur multimodis iraſcenti, dolentique, ac plurima poſtulanti, nuntiatur, ad ſex hominum millia ſubſidio in caſtra veniſſe; copiamque rerum ingentem, quæ bello uſui ſunt, allatam: neque ita poſt multo novas ex Aſia militum copias acceſſiſſe. Quibus factum eſt, ut Achomates in ſpem certam venerit brevi urbe potiundi: barbaroque ac vano quodam more dictitaret, idque ſæpius acies circumiens, ſe jam eſſe in eo, ut ocyſſime ſicam Venetis de manibus extorqueret. Milites hortabatur, ut parumper laborem perferrent: ſeque principem irrumpentem ſequerentur: prædam pollicetur, manubias, pecuniarum vim ingentem, honores pro meritis. Glorioſe etiam id jactare medio fere autumno auditus eſt, Candiam captum iri ante hiemem: ſive hoc fieri poſſe acceſſione crederet: ſive ut militi verba daret, eumdemque ad mortem volentem projiceret. Quæ cuncta temere ab homine ſunt prædicata. Nam primum quidem imbres maximi, qui ſe repente effuderunt, impedimento fuere: tum vis quo- *1668.*

Digitized by Google

1668. que maris ac ventorum ingens, quæ impetu, ac furore quodam in opera ferebantur, quibus factum eſt, ut barbaris ab omni opere ceſſandum fuerit. Quæ vereri ac providere Imperatorem oportuit: itemque noſſe noſtrorum vires, animique fortitudinem, & conſilia Mauroceni, a quo ſæpe Thraces terra, marique victi ſunt, cæſi, aut fuſi. Quæ fuit cauſſa, cur ab invidis & obtrectatoribus, quorum in caſtris, & apud Regem magnus erat numerus, convicio & contumelia proſcinderetur. Sed is tamen, quæ jactaſſet: quæque in ſe jactarentur, oblitus, vel aſpernatus, ne omnino opus deſereret, in media rerum omnium calamitate, moliri plurima ad propugnaculum D. Andreæ inſtituit: quod ibi animadverterat, ab aquarum vi, propter altitudinem loci, minus milites opera prohiberi: minimumque lædi, quæ egiſſent.

XV. Eo igitur convertit cum omni copia: multum de ruina ſperans, cujus ſupra meminimus. Unde etiam ſtatim deterritus eſt, ac cognovit, nova mœnia pone eum locum, eaque firmiſſima, excitata. Tum ferunt laudibus in cœlum tuliſſe Venetum Imperatorem: eaque vide-

videre hominem, dictitaſſe, quæ cæteri mortales neque antea vidiſſent, neque viſuri eſſent deinceps fortaſſe: unumque dignum maxime, qui Bizantii naſceretur, & res Imperii adminiſtraret. Quod turpe fuit, barbaro a virtute, veraque hominis gloria prædicante, noſtrorum aliquot deinde vel invidiſſe, vel periculum aliquando capitis creaſſe. Sed ad rem revertor. Achomatem ſumma vi conantem unum ex omnibus maxime terruit, quod bene longas militum acies irrumpentium, animadvertit, omnino deleri iis ordinibus tormentorum, quibus eodem tempore Maurocenus & ex novis mœnibus agebat, & ex Panigra, & ex eo munimento, quod Sancti Spiritus incolæ appellabant: denique ex binis etiam caſtellis, quæ in ora ipſa foſſæ ædificarat. Hæc dum fierent, cernit Achomates, partem quamdam propugnaculi, quæ ad mare ſpectabat, eſſe infirmiſſimam. Turri una, eaque exigua, quæ in roſtro ſita erat, defendebatur, exiguiſque militum præſidiis. Illuc itaque impetum e veſtigio facit. Aggeres magnos jacit; eoſque brevi eo perducit, ut nocere ipſe urbi, ſibi noceri haudquaquam poſſet. Id vero noſtros plurimum terruit: Conſiliumque Impera- 1668.

pera-

1668. perator ſtatim indicit. Sententiæ dicuntur: denique decernitur, ut ex fortiſſimis quibuſque manus conſletur: iique erumpant. His præficitur Franciſcus Battalea, Candiæ Dux, Legati frater, vir maximi ingenii, maximique animi. Illique continuo ex præcepto egrediuntur, vique ingenti tribus partibus ſigna inferunt. Fortiſſime utrinque pugnatur. Poſtremo magna cæde Turcæ, primum ex aggeribus, qui plures propter erant: tum ex his ſtationibus, quæ pone aggeres: denique ex aliis, partem magnam, procul ſitis pelluntur. Tantuſque pavor, ac tumultus fuit totis caſtris, ut fugam omnes ſpectarent. Id Achomates cum animadverteret, dixiſſe fertur, pecus diſpelli more, agique ingenio: accurrit tamen, ac partim commonendo, rogandoque, partim etiam caſtigando detinuit. Cæſi eo die dicuntur ex barbaris trecenti, in quibus Tribuni militum ſex: ad ſexcenti vulnerati: noſtrorum deſiderati ad quadraginta. Facile ea res magnæ lætitiæ civitati fuit, eo ipſo tempore victoria parta, quo præſens periculum impendebat: qua de cauſſa etiam multis laudibus victores concelebrati. Sed quæ ſolet eſſe indoles atque ingenium rerum humanarum, ut

bonis

bonis mala perpetuo admiſceantur, aut etiam 1668.
ſuperent, gaudium hoc tantum Battaleæ interitus, cujus ductu vicerant noſtri milites, fœde contaminavit. Namque is victoriæ uberioris cupiditate inductus, latius interiuſque ſe provexit: ac pleraque impedimenta princeps perrupit: ſuoſque magnis vocibus, uti ſequerentur, hortabatur. Quæ cuncta cum vi animi ingenti agitaret, accidit, ut ictus glande caderet: eaque ratione nimiæ fortitudinis pœnas daret.

XVI. Quæ Achomatem vehementer perturbarunt. Itaque diligentius rem adminiſtrare: municiones alias, aliaſque inſtruere: eaſque majoribus militum præſidiis confirmare. Sedulo ipſe inviſere, ac frequens: quoque loco diſcrimen intendebatur, illico accurrere: primus, aut in primis ſe periculo offerre. Denique, remotis arbitris, abdit ſe in tabernaculum. Ibi quæ antea feciſſet, brevi omnia expendit: eaque aut temere facta, aut inutilia fuiſſe: conſumta miſere multa hominum millia: ab Rege mortem imminere, ni potiatur: ſe porro nullam videre rationem obtinendi: huc flexit animum, uti potius, quam vi, atque armis, aſtu capiat. Epiſtolas igitur plurimas ejuſdem ſententiæ ad

mili-

1668. milites, & oppidanos ſcribit, quas ſagittis illigatas conjici in urbem curat; quibus eos cohortatur, ut ſeſe, atque urbem tradant: certos quoque homines mittit, qui magna quædam pollicentes, rem occultiſſime conficiant. Quæ neminem unum permovere: eaque ſpe dejectus, ſtatim cogitat de Mauroceno. Litteras ad eum ſuo, ac Regis nomine dat, quibus, ſi urbem tradat, pecuniæ vim ingentem ſe continuo daturum promittit: adhæc Valachiam ac Moldaviam, ut ipſe, liberique ejus jure hereditatis perpetuo obtineat. Ferunt, Maurocenum, his litteris acceptis, barbaros vehementer irriſiſſe: quietoque animo, ac tranquillo hæc Imperatorem Imperatori ſtatim reſcripſiſſe:

Franciſcus Maurocenus Achomati.

Nihil opus pecunia eſt. Si Rex ea, quæ juſta utrinque, atque utilia ſunt, vult, gratis facere ſum paratus: ſin autem contraria, non habet auri, atque argenti ſatis. Quidnam eſt rei Moldavia? Quidnam per Deum Valachia? Univerſi orbis terrarum divitias accipere nolo pro Patriæ caritate. Te, qui me incognitum tentaſti, tuique ſimilem exiſtimaſti, non miror. Tibi ignoſco. Deinceps ſiquid mecum agere voles, jure aut armis diſceptato: teque memento ab Rege miſſum, ut

Im-

Imperator bellum virtute geras, non ut pecunia mercator Regna, aut Provincias emas. 1668.

XVII. His litteris Achomatem fregit: eoque adegit, ut manu decernendum, vel deſperandum putaret. Eaque dum fiunt, epiſtola ab Rege ei reddita eſt, ſæva ſane illa quidem, & truculenta, quam tamen intrepide contemſit: audituſque eſt ſæpe dicere in tabernaculo: *Se cum mente quadam divina, ac pracellenti, non cum homine pugnare.* Simulque ordine percenſere, quæ feciſſet terra ac mari: neminemque ante ſe gentis ſuæ. Ac maxime pertæſus rerum, hominumque: multumque conquerens de fortuna ſua, Diis ipſis conviciatus, ad vim, bellumque rediit. Ac primum quidem ad Sabulonariam conatur magna quædam. Impetu ingenti adoritur: eodemque tempore multis hominum millibus nixus ad propugnaculum Divi Andreæ, celerrime ad portam, præterque omnium opinionem, terræ molem immanis cujuſdam magnitudinis eduxit, ut omnis poteſtas erumpendi noſtris illac auferretur. Qua in re tamen perficienda, non exigua abſumta eſt barbarorum multitudo: aliis nimirum nimio labore, ac perpetuo confectis, aliis, dum opus educeretur,

Digitized by Google

1668. noſtrorum vi, atque impetu ſublatis. Quæ tametſi gravia, ac moleſta illi erant, tamen in ſententia permanſit: quodque cœperat, perfecit: hoc ſæpe dictitans, cum pecunia minime liceret, ſanguine plurimorum parandam urbem. Interim milites, cædem ſuorum miſeram cernentes, nec ullum ei rei finem fieri: ſævitiam ac barbariam oſi Imperatoris, bellique inſcitiam ejus prædicantes, & urbis oppugnandæ: natumque hominem, ut homines exſtingueret: primum conqueri univerſi, tum aperte tumultuari cœpere: eoque brevi ſeditio proceſſit, ut cuncti fere prætoriani caſtris repente exceſſerint: ſeque in ſaltus invios, monteſque receperint. Quæ Achomatem propemodum enecarunt; jacuitque horas aliquot miſer, ac multum flens. Poſtremo veritus, ne cæteri exemplum ſequerentur, reſque tota dilaberetur, aliquot ex illorum numero advocat, quos diligere, & a quibus diligi credebatur, catos homines, ac rerum prudentiſſimos; iiſque lacrimans ſe commendat, atque imperium: orat atque obſecrat, ne per Deos ſinant, ſalva urbe, atque hoſtibus, perfidia prætorianorum rem Turcarum ruere: iiſque negotium dat, ut magna quadam pecuniæ vi,

majo-

majoribuſque pollicitationibus & illos revocent, 1668.
& reliquos contineant in officio. Hiſque ſedulo nitentibus, utrumque factum eſt: ac tribuni unius ſupplicio, omnibus deinceps promtioribus uſus eſt. Sed labore tamen victi milites, & militia aſpera, ac diuturna, litteras poſtpaullo Lariſſam ad Regem miſere, quibus orabant, ne pateretur, Turcarum gentem, de ſe optime meritam, in urbis unius obſidione miſere deleri. Tueri Deum, non hominem, quem frangere nullæ mortalium vires, aut ingenia poſſent. Non mari, non terra vinci illum poſſe: non navium, aut hominum multitudine, non conſiliis Imperatorum: non ventis, non imbribus, non reliquis anni dirioribus tempeſtatibus. Seſe ſupplices rogare, petere, ut alio transferat, quo opera univerſorum utatur utiliore. Candiam deinde redituros, aut ſublato monſtro, aut eo, ſuorum invidia, vel etiam ætate, collabefacto. Quæ Regem, urbis cupidine jamdiu flagrantem, nequaquam flexere: litteræque poſtpaullo, Regis nomine perſcriptæ, atque ad exercitum ſunt perlatæ, quarum hæc fuit ſumma: *Se, qua Regem oportuerat, cumulate omnia perfeciſſe: ut terra ac mari cuncta ſuppeterent, arma, naves, pecunia, frumen-*

Digitized by Google

1668. *tum, auxilia, ſupplementa. Diis bene juvantibus nunc quoque adeſſe, & affuturum. Eoque conſilio Lariſſæ eſſe, uti propius rem cernat, atque accurrat, ſi opus ſit. Eſſe id igitur reliqui, ut quæ cœperint, ipſi perficiant: celeriterque urbe potiantur. Fruſtra veniam, gratiamque, aut laboris finem petere. Hujus nullam omnino ſpem eſſe, niſi capta inſula. Idque niſi quamocyſſime fiat, ſe ad exercitum venturum, ut inſcitiæ, atque ignaviæ pœnas ſumat.* His miles territus eſt: &, Achomate impellente ac dira minitante, id operis per hiemem ſubiit, quod vix vires hominum ſuſtinere poſſe viderentur.

XVIII. Hæc dum fierent, Fulliadeus ex Gallia venit cum delecta manu voluntariorum: hominemque Candiam pellexerat Mombrunii exemplum, famaque ac nomen Imperatoris, & virtus ſua, qua ſæpe alias, quinque vero potiſſimum ante annis eo prœlio inclaruit, quo victi barbari, fugatique ſunt in Pannonia ad Arrabonem fluvium. Eaque fuit manus virorum ſexcentorum, quam Gallia, quam Rex quoque volens ac libens Candiam miſit, non tam ut Venetis auxilio foret, quam ut Veneti Imperatoris virtuti faveret, cujus fama cunctis locis longe ac late pervagata, urbis potiſſimum defenſæ cauſſa,

quæ

quæ vires Orientis plurimum attriverat, Gallos 1668.
ac Regem tamen, præ cæteris mortalibus, bellicæ fortitudinis, ac reliquarum artium cultores, quibus Maurocenus præſtitit, plurimum moverat. Quem etiam in Gallia, quam ſedem ac domicilium virorum fortiſſimorum ipſi appellant, dignum qui naſceretur, ſæpius prædicarunt, cum tamen Italia ipſa altrix ſit etiamnum vel clade hac rerum, ipſiſque idemtidem Duces præbeat. Sed revertor illuc. Ubi Galli Candiam venere, continuo ab Imperatore petierunt, ut ſibi agere, ac pugnare liceret ad propugnaculum Divi Andreæ, quo loco barbari vehementius urgebant; quoque fortuna, ac ſalus urbis ſita tunc eſſe videbatur. Impetrant: illique ſtatim, armis & corporibus connixi, inde hoſtem pellunt; tantaque ferocia pugnarunt, ut Achomates territus dictitaret: *Gallos non homines ſibi videri, ſed heroas, ac Deos quoſdam, & Martem belli*. Multumque noſtri illorum laudibus favere: carminibuſque pluribus, noſtra eorumque lingua, in cœna, in acie, ac principiis concelebrarunt. Divi igitur propugnaculo hoc modo liberato, primum in porta audaciſſime Galli conſedere: tecti deinde undique munimento à porta

1668. porta non ita longe. Eaque Turcæ animo iniquiſſimo ferentes, pudore ac minis acti, non pauci verberibus, magna vi, majoribuſque viribus eodem rediere: diuque acriter digladiati, Gallos poſtremo pellunt; neque ita poſt multo hi Turcas, magna utrorumque cæde. Quæ cum cerneret Maurocenus: ſimul quaſi fluctu quodam, atque Euripo huc illuc victoriam ferri: Galloſque & barbaros ire alternos, ac redire viam, Fulliadeum, qui præerat, hominem fortiter, atque impigre ductantem, ſigno dato, revocat in urbem. Imperatori continuo is dicto audit. Orat tamen multis precibus cum ſuis, tum ſuorum, ne Divus auferatur, qui primo traditus. Exorat, ſed Venetis admixtis, ut gentis impetum, caloremque nimium quaſi leniret ac temperaret.

XIX. Interim Equites ſexaginta Melita advenere: flos nobilitatis gentium plurimarum, urbem a Magiſtro defenſum miſſi, quem Magnum vocant: pedites quoque trecenti, qui illorum pleraque attulere, quæ bello uſui ſunt. Iique Gallorum induſtriam multimodis, ac virtutem æmulati, idipſum propugnaculum ſibi ſtatim depoſcunt, quod hi obtinebant: rati ſe opti-

optime in loco decus inventuros, aut obitum 1668.
glorioſum. Quibus Imperator cum propugnaculum ſine injuria minime liceret, id tamen conceſſit, uti propter locum caperent; unaque defenderent; fuitque crebro excellens, & illuſtris illorum opera, & Reipublicæ utilis. Sed Achomates interea anxius eſſe, ſollicituſque. Nam & ab Rege terrores magni, & quotidiani erant; & a militibus turbæ ingentes imminebant, ac ſeditiones. Itaque diu, noctuque vereri, ac formidare. Cibo, potuque identidem abſtinere: ſæpe etiam per quietem exterreri; amentique ſimilis, ſurgere de lectulo; armiſque arreptis, curſitare per tabernaculum, ac vociferari. Quo tempore mira neceſſariorum erga eum fuit, propinquorumque benivolentia. Adeſſe enim, tueri multimodis, hortarique hominem non deſtiterunt; quæque imperare, facere pro munere eum oportuit, ipſi perficere, præcipere non dubitarunt: denique hæc omnia, aliaque amplius, ne aliquo manarent, ſedulo cavere. Eorumque ſtudio, induſtria, diligentia præalti, atque eximii aggeres, præ Divi propugnaculo longiſſime producti, quibus factum eſt, ne Gallis, cæteriſque exire liceret. Quamobrem

moe-

1668. mœſti, iratique diu fuere. Denique pugnæ avidi, ac furore quodam acti migrant catervatim ad Sabulonariam; ibique ex mœnibus primum jaculari; mox ferociſſime erumpere; barbariſque plurimum nocere; multaque ac magna per hoc tempus ab his edita facinora, quæ gentem inclitam pluribus nominibus ornarunt. Sed factum egregium ac memorabile minime prætereundum, quo Mombrunius, de quo ſupra demonſtratum eſt, cæterique Galli, ſunt præ cæteris nobilitati. Namque Candiæ Mombrunii propinquus gentilis fuit, qui cum urbe bellatum exiſſet, in barbarum, corporis forma, ac magnitudine præcellentem, nitentemque armis, incidit. Venuſta illius ſpecie, ac liberali captus, homini pepercit: rem indignam ratus, tam nobile ac præclarum naturæ opus tollere, in quo bonitas, ac mirus quidam favor ejus, qui condidiſſet, appareret. Hunc itaque ſtatim ac offendit, medium complectitur; & intro in urbem ut auferat, operam dat. Cum prope abeſſet, ut inferret; noſtrique de mœnibus voce, manu, multiſque modis aliis ei faverent, accidit, ut ictus glande, repente exanimis corrueret. Atque hoc modo egregius adoleſcens

exi-

eximiæ cujuſdam ſuæ bonitatis, ac fortitudinis 1668.
immoderatæ pœnas dedit. Eaque res Mombrunio, reliquiſque Gallis, noſtris prætęrea magno dolori fuit; illatumque urbi cadaver multis laudibus, ac lacrimis honeſtatum; magnaque populi, ac militum frequentia ſepultum eſt. Galli interea palam queſti ſunt: ſe minutis certaminibus paullatim imminutos: terra Gallia Candiam tranſgreſſos, uti nomen gentis factis æquarent, nihil ad eam diem ſeque, illaque dignum edidiſſe: poſtulare igitur, uti egredi ſibi liceret, ac laudem vitæ, vel honeſtæ mortis invenire. Eaque diu, noctuque ferocius jactare. Quorum voluntates cum Fulliadeus nulla re, aut ratione lenire poſſet, petiit a Mauroceno, ut egrediendi poteſtas foret; hominibuſque iratis, & inquietis ſatisfaceret. Quibus, quoad licuit, reſtitit. Denique ubi animadvertit, malle homines diſperire, quam id, quod peterent, non impetrare, poteſtatem facit. Illique exeunt, impenſe læti, XVI. Calendas Januarias: ſumuntque laboris ſocios ex Allobrogum numero pedites centum: aliquot præterea, qui per aggerum anfractus celerrime in hoſtes ductarent; ad quos tamen rei totius rumor paullo ante

1668. pervenerat. Itaque promti paratique aderant, magis multitudine, quam virtute freti. Achomates ſedulo munimenta, & quicquid uſquam erat militum, circumibat; idemque cæteri præſtare, qui in imperio erant. Monere Gallos pluribus, ſumma eſſe homines audacia: pulſoſque fortiter initio, humili deinde, abjectoque eſſe animo. Hortari itaque, ut viri eſſent; ejuſque virtutis memores, qua majores præſtitiſſent; quaque imperium nacti eſſent in omnes fere gentes. Eaque dum fiunt, Galli interea inaudita quadam animorum fortitudine irruunt in opera barbarorum. Ingens utrinque clamor fit, quaſi permixtio foret cœli, & terræ. Aggeres ſupervadunt, & quicquid operis primum offendunt: proxima continuo munimenta. Turcæ fuſi, fugatique undique, cæſique magna clade: in his Mahumetus quidam, Caterſolius appellatus, illuſtri homo præditus poteſtate, reique militaris ſcientia antiſtans. Quibus omnibus Galli alacriores facti, audacius inſtabant: hoſque monendo, hortando, præeundo Fulliadeus incitabat. Longiuſque, ac latius pergebant; mortemque ac vaſtitatem ferebant cunctis locis; cum Fulliadeus, qui anteibat, manipulos aliquot mi-

litum

Digitized by Google

litum conſpicatur, eorum, quos Turcæ Janiſſa- 1668.
ros appellant, qui ab dextera celeri gradu ad foſſam tendebant: nempe eo conſilio, ut noſtros deinde redeuntes aditu intercluderent. Quare cognita, ille continuo receptui ſignum dat; ſuoſque in urbem reducit: ad triginta fere amiſſis, ſex & ſeptuaginta vulneratis. Fuit id facinus in primis nobile, quo Fulliadeus diu in ore fuit hominum; quoque ab Imperatore multis eſt verbis collaudatus. Namque auſus eſt ſua illa exigua manu cum exercitu pugnare, qui fuit centum millium; eumque intra caſtra, pluribuſque aggeribus, vineis, aliiſque id genus munimentis tectum adoriri, & profligare. Sed ad rem redeo. Viginti deinde diebus Galli Candiæ fuere, quo tempore a noſtris multiplici genere ornamentorum ſunt honeſtati. Poſt in Galliam rediere, clari Cretica expeditione; Regique & Galliæ univerſæ cari.

XX. Pacis mentio interim injecta eſt: eam rem Patribus ex longo intervallo, nempe ab obitu Javarinæ, renovantibus, quo tempore Achomates, ut unus aliquis ad ſe mitteretur, quocum de illius conditionibus agi liceret, pluribus petierat. Hominem ordinis patricii legari pla-

 cuit;

1668. cuit; lectuſque eſt Andreas Valerius, qui tum Inſulis præerat. Eo vero, ne legationem ſuſciperet, pleraque cauſſante, Aloyſius Molinus in ejus locum ſuffectus eſt, prudentia uſuque rerum facile in Civitate princeps. Iſque, Senatus juſſu, ſtatim profectus, brevi Lariſſam ad Regem pervenit. Qua cauſſa venerit, exponit; & Rex quidem ejus adventu lætus, facile homini aures præbuit. Aliquot continuo ex principibus, qui ſibi in conſilio aderant, deligit, quibuſcum Aloyſio de conditionibus diſceptare liceret. Stataque die conveniunt: placuitque Legato libere de re, pluribuſque in conventu edifferere: quorum hanc ſummam fuiſſe accepimus:

Primum ſe profeſſum vera fari, monuiſſe, uti eo loco ſtatim refellerent, ac redarguerent, quo loco ficti aliquid, aut falſi permiſceret; neu perorare paterentur. Continuo rem exorſum, Heibrahimum fidei & amicitiæ violatæ libere accuſaſſe. Annum jam vigeſimum quartum, illius injuria, Cretam inſulam fœdo bello ardere; & iniquo. Quo enim ullo unquam merito Cretenſium, aut Venetorum? Atque illum fortaſſe in fraudem inductum illorum dolo, qui Regi adeſſent in conſilio. Sed eos tamen, alios clade alia, ultore Deo,

Deo, fœde omnes, ac miſere diſperiiſſe. Eaque Mahumetum probe noſſe, Regem ſine controverſia meliorem, quam Heibrahimus fuerit. Quid melior autem, ſi eadem nequitia, ac perfidia bellum perſequatur? Si ferant æquo animo, vere de ea re quoque, & ingenue ſe dicturum. Mahumetum nullo modo, cauſſa deterritum, bellum initio ſuſcepturum fuiſſe. Cœptum perſequi, cauſſa fortaſſe, aut ſi id dici non debet, non recte adhuc, ac diligenter, ut oportuit, cognita & animadverſa. Eoque Lariſſam, juſſu Patrum, ſe veniſſe, uti commoneret. Cerneret Mahumetus, quibus cladibus tot annos vexati Cretenſes ſint: cerneret agrorum vaſtitatem, urbium ruinas, mortes denique, quibus partem maximam conſumti miſere illi ſint: malorumque tot miſertus, genti tandem parceret. Damna ſua quoque cerneret; calamitates denique, quas tam longa annorum ſerie Veneti perpeſſi ſint, jure Cretenſibus ac bono defendendis; ac de pace illa aliquando cogitaret, cujus ſuperiore anno ſæpius Achomates ſpem fecerit, ultro Venetis etiam appellatis. Se, Patrum nomine, Regem hortari: palam quoque in conſilio profiteri, Senatum conditionem nullam, aut legem recuſaturum, modo honeſta, atque æqua foret. 1668.

XXI. Auditus eſt magno ſilentio; iſque poſtquam adſedit, alius aliuſque, omnes denique

modo

1668. modo alio ei adſentiebantur. Cuncti nimirum belli, quod adminiſtrabatur, aſperitate, maliſque diuturnis feſſi, pacem malebant. Dimittitur conſilium; deque rebus omnibus ad Regem refertur; cui pax quidem vehementer probabatur, Candia tamen tradenda; homineſque cati ad Molinum legantur, qui ſermones alios aſtute de rebus aliis cum illo inſtituant; delapſique ad pacem, hoc eruant, an convenire hac lege queat. At Molinus, qui iſthæc omnia ſenſit, prædicare non dubitavit, Senatum, voluntaria conceſſione, Candiam non traditurum. Quæ Regem omnino a pace componenda abalienarunt. Fit Achomates rerum omnium certior, amicorum, ac propinquorum litteris; iſque anxius mirum in modum, ac ſollicitus deinde eſſe cœpit: id maxime verens, ne pax tandem fieret, vel Candiæ traditione, qua in re captæ urbis laude ſe cariturum videbat, vel ea retenta, ac tum quidem fore, ut ad ſe unum dedecus, & ignominia pertineret, qui undique inſtructus, copiiſque innumerabilibus auctus, & ornatus, urbe tamen minime potitus eſſet. Litteras igitur ad Regem dat, quibus a pace pluribus deterret: Venetos multis modis accuſat; hortaturque, ut ab illorum

rum

rum fraude, ac dolo diligenter caveat. Nunc 1668.
de pace demum eos cogitaſſe: ſcilicet poſtquam muros dirutos, disjecta propugnacula, Candiam acervum lapidum, non urbem eſſe animadverterunt: Gallos pulſos in Galliam aufugiſſe: vim illam militum fere abſumtam tenuem & exilem, qua Maurocenus Imperator adhuc luſerit; oſtentaque illa fecerit, quæ mortali homini factu facilia non ſunt. Spem nullam reliquam urbis retinendæ, aut ſuis viribus, aut etiam ſociorum. Rogare igitur, ut vel pacis conſilia omnino abjiciat: vel ſi illam malit, ut belli antea, ita pacis quoque ſibi in præſens arbitrium permittat, cui, jamdiu cum Venetis agenti, notiores ſint illorum artes: præclareque in rem facturum, ſi Legatum ad ſe rejiciat; ut cum Molino, & Mauroceno lingua, manuve cernens, rem optime conficiat. Hæc eadem, aut iſtiuſmodi ſententiæ eos rogat, qui Regi aderant, ſibique forent propinqui, aut neceſſarii, ut hortando, docendo, commonendo Regem ad ea impellant. Quibus eſt facile Rex aſſenſus. Neque ita poſt multo Legatus Chalcidem mittitur: indeque Cydonem; quo loco ab Achomate ſatis quidem liberaliter habitus eſt, ſed in libera tamen

1668. men cuſtodia. Quæ Patribus nunciata curam belli Cretici vehementer auxere: probataque his omnino eſt ſententia Molini: *Capi, non dedi Candiam*. De pace itaque deſperantes, celeriter ſupplementa decernunt; eaque prima hieme ad Maurocenum mittunt: adhæc navium, armorum, commeatus, pecuniæque affatim. Præmia item ducibus decreta pro cujuſque virtute. Cornelius dignitate equeſtri eſt honeſtatus: Roſpilioſio patera aurea pondo viginti quinque dono data. Pontificem Maximum deinde rogant, quæ Veneta ſodalitia pollicitus erat, ſublatum iri, uti ea tolleret, D. Mariæ Feſulanum, D. Georgii, Jeſuatorum: pecuniaque, bonis divenditis, ærario inferretur. Quod factum eſt; auctæque hoc modo illius rationes argenti pondo ſexaginta millibus. De externis, quæ plurima in Italia erant, etſi magnopere hortarentur, nihil impetrarunt. Actum deinde eſt de Venetis ſacerdotiis, quæ multa, ac magna erant. Orant, in annos aliquot, hi qui obtinent, ad ſumtum belli, uti aliquid pendant: exorant: bonaque divendantur, quæ pleraque templi erant D. Marci: id ipſum quoque; ea tamen lege, ut ex iis bonis quantum ad templum rediret, tantumdem

ex

ex publicis reditibus quotannis penderetur. Auxiliaque mox rogant Italiæ Principes. Continuo Mantuanus quingentos mittit, quibus etiam ſtipendii in menſes ſingulos dimidium ſolvit. Hetruriæ Dux cohortem ſupplet, quam antea miſerat. Algere cæteri; quod his quidem turpe fuit, externis certatim opem ferentibus. Primum enim Fridericus Brunſvicenſis trecentos auxilio miſit: totidem deinde Georgius Guillelmus, totidemque Herneſtus Auguſtus, fratres, quibus ſtipendia quoque præbuere. Ad hoc polliciti ex his milites mille & octingentos, quos Belgis tradiderant, dum bello premerentur; quos Veneti tamen ſuo ſumtu alerent; peditesque mille Bavarus miſit: quadringentos Friſtembergius, Epiſcopus Argentoratenſis: alii non pauci pecunia, aut re juvarunt. 1668. 1669.

XXII. Sed ſævo bello, ac rerum multarum egenti, ſpes magna Patribus in Regibus duobus fuit, Galliæ & Hiſpaniæ, qui Venetis nunc poterant, ſæpeque alias auxilio ac decori fuiſſent. Sed Hiſpani tamen, multa cauſſati, ſibi, nobiſque defuere. Galli cohortes duodecim hominum lectiſſimorum pollicentur, & pedites quingentos, ex illorum numero, qui regii corpo-

V ris

Digitized by Google

1669. ris cuſtodes ſunt, quibus Bellefortium Rex præfecit: manipulos præterea aliquot voluntariorum; quibus Noallium. Quæ poſtquam Johannes Maurocenus Legatus, aliis aliiſque ſcriptis litteris, Senatui nuntiaſſet, ingens Venetiis lætitia fuit: gratiæque Regi magnæ actæ; ſpeſque his omnibus injecta eſt tuendæ urbis, hoſtiumque pellendorum, qui vi quadam, atque impetu ferociore Candiam oppugnabant. Hiems aſpera, ac ſæva erat: multique frigore enecti; alii etiam alſerant; aliave, aut illa clade inde parta, plures diſperierant. Quæ Achomiatem minime tangebant; crebro illa prædicantem: *Vel interitu gentium plurimarum, urbe tamen potiri velle.* Multimodis urbem diſtinere, cuniculis alibi, alibi tormentis, quibus partem magnam muros disjecerat; lociſque pluribus aggeres ac vineas mœnibus junxerat. Quibus factum eſt, ut noſtri de urbe defendenda vehementer timerent. Sed Maurocenus, Diis, credo, fretus, ac virtute ſua, tot tantiſque licet rebus implicitus, animi acer tamen, alacer, ac nihil timens, ubique aderat, multa diu, noctuque cæteris præcipiens; pleraque etiam ipſe unus agens, quibus noſtri, ſociique ſunt vehementer incitati.

Qua

Qua mœnia diruta machinis, operaque barbarorum, ea celeriter reſtituta; pone quoque alia averſa, adverſa, tranſverſa ædificata. Tum crebris eruptionibus barbaros cædere, ac longe a mœnibus propulſare; quæque diu, multoque labore illi exſtruxerant, vel ediderant, horis paucis magna gloria delere. Eaque ingenti animo dum aguntur; militeſque fortiter, ac ſtrenue operam navant, æs deeſſe cœpit, quod penderetur. Idque acrius petebatur. Hic licet animadvertere, eum qui præſit, amari, quam timeri magis oportere. Turba ac ſeditio imminebat, querentibus univerſis, frigore ſe confici, labore, vulneribus; neceſſaria tamen denegari. Hanc Imperator ut vitaret, dum ab Senatu ſubſidia afferrentur, omnes rogat, qui cum imperio, aut poteſtate aliqua forent, uti ſe pecunia juvent, quæ militi numeretur. Id cuncti faciunt volentes, libenteſque: multi quoque minime rogati. Neque ita poſt multo Thaddæus Maurocenus Venetiis venit cum ſupplemento, cæteriſque rebus, de quibus ſupra demonſtratum eſt; cujus adventu militum animi mirifice ſunt recreati. Per hoc ipſum tempus dona rurſus ad Achomatem ab Rege Mahumeto miſſa ſunt, 1669.

1669. quorum cauſſa ingens lætitia in caſtris barbarorum fuit. Pſaltriæ, ac tympaniſtriæ dies aliquot in triviis ſaltarunt; & incondita quædam carmina, Turcarum more, cecinere. Auditæ buccinæ, tibiæque, verſiculique turpiuſculi, quos Galli aliquot, Italique, qui deſciverant, nos noſtraque faſtidientes, inter epulas, & in complexu muliercularum, ebrii atque inſani ſæpius effudere: cunctique proceres cum Achomate ſunt multimodis gratulati. Quibus omnibus plurimum ille lætatus eſt; edique in vulgus voluit, quæ faceret, quæque diceret, omnia Regi probari; neminemque unum ſe eſſe illi cariorem. Eaque militibus arte cani, ac prædicari, quo deinceps promtioribus uteretur. Dona quoque illuſtri loco dies plures publice propoſuit, ut ab omnibus cernerentur; quæ tamen non multa admodum, neque inuſitata fuere. Nempe machæra una, gemmis ornata, veſtiſque una elegans fuit, & pretioſa, quæ adeo in tempore homini placuere, ut reliqua omnia flocci faceret. Eunuchum qui attulerat, quique Regi vehementer carus erat, in magno honore habuit, impenſeque coluit; multis ac magnis etiam muneribus auxit. Cui Rex digredienti cum clan-

culum

culum imperaſſet, uti quo loco oppugnatio fo- 1669.
ret, ſedulo inſpiceret, ſibique rediens renuntiaret; rudis homo omnino rei militaris, & imperitus, conquiſivit, inſpexitque diligenter. Porro circumiens, locis pluribus; eversa ac diſturbata mœnia, attrita propugnacula cum animadverteret, mirabatur, cur non continuo urbe Achomates potiretur, via facili, atque aperta; ſtratiſque omnibus ingenti ruina: cui ſubridens ille, *Te igitur auſpice*, inquit, *& inſpectante*, *ſtatim capiamus*; juſſitque cohortes aliquot hominum fortiſſimorum e veſtigio invadere. Repente telorum, igniumque ingens vis, quaſi tempeſtas ſæva cum apparuiſſet, quibus ſunt partem maximam ii conſumti, territus homo rogat, uti homines revocet, iiſque parceret. Quæ poſtquam Regi narravit omnia; virtutemque Achomatis multis laudibus in cœlum tulit; facile Mahumetus militum ſubſidia, quæ ille optabat, miſit.

XXIII. Hiſque Achomates lætus, magna ſpe, majoreque vi, quam unquam antea, Divi propugnaculo hoc anno hæſit: ita ratus, aut ibi urbis caſum inventurum, aut nuſquam alibi. Quatit, urget, vexat undique nova arte diu noctu-

Digitized by Google

1669. noctuque. Milites uſque ſubire cogit alios alioſque. Et quamquam deleri ordines integros cerneret ordinibus tormentorum, ac balliſtarum; ſtrataque eſſe omnia cadaveribus; voceſque miſerabiles exaudirentur, & ejulatus morientium, quæ vel lapides movere poterant; ipſe tamen conſtans, diruſque, & aſper, aliis imperat ſuccedere alios: alibi quoque cunctis locis impigre agebat, magis noſtrorum manus ut diduceret, ac diſtineret, quam ut ſpem ullam potiundi haberet. Hic libet interponere, quæ vera ipſe accepi; quæque alii modo aliquo interpoſuere: Urbem validam natura, ac manu, a Diis lectam, in qua mortalium ingenia, quo pervenire queant, tuendo oppugnandove, animadverti potuerit. Namque barbari, Græci ingenii veſtigiis niſi, fretique, pleraque hoc loco, eaque nova & admirabilia pepererunt, quæ arti addita, eo etiam extulere, quo efferri poteſt. Super, ſubtus, terra, marique illa prædicantur, quæ viſa ſunt incredibilia; quæ tamen uſus ipſe, ac periculum docuit, & veterum memoria conſtans conſecravit. Porro noſtri pellendo ac propugnando, quæ loca ac præcepta artis non effudere? quæ decora & ornamenta, quæ non majeſtas eſt illi

adje-

adjecta? Quæ cuncta uni Veneto Imperatori 1669.
ſunt accepta referenda; quo agente, ac diſceptante, quæ Oriens objecit, ipſe disjecit: quæque nova cudit oppugnando, is quoque nova ac recentia edidit defendendo. Hoc interfuit inter Achomatem, & Maurocenum, quod hic incluſus, & vinculis quodammodo injectis, exiguiſque viribus diu Turcam pepulit: ille copiis innumerabilibus, atque ad necem ſæpe cæſus, vix tandem cepit. Quæ cuncta Galli, periti ac juſti rerum æſtimatores, cæteræque gentes libere, atque ingenue faſſæ ſunt: ſimulque illa, qui Candiam veniſſent ex omni plaga, talium magiſtri, ut ipſi opinabantur, facile intellexiſſe, tirones ſe eſſe. Sed ad rem revertor.

Præfectum Achomates minoris Aſiæ, virum ſtrenuum, urbiumque oppugnandarum apprime peritum, ad munimentum, quod Sancti Spiritus Cretenſes appellant, agere jubet. Quæque ipſe velit; quaque ratione inſtituat, & omnia peragat, monet: illique millia aliquot, quæ popoſcerat militum fortiſſimorum, dat. Ipſe cæteris ſtipatus, qui bello optimi putabantur, ad Divum intentus, ſollicituſque aderat. Aggeres inſtruit, qui magnitudine murum æquent, aut ſupe-

1669. ſuperent, unde irrupturus celerrime videbatur. Quæ res terrori ac formidini civitati fuit. Itaque noſtri, moniti periculo, balliſtis primum plurimis, tum forti eruptione, eademque crebriore hoſtem, qui propius imminebat, ſummovent. Cornelius cuncta ſedulo præſens obit, inſpicit: curat Mombrunius diligenter: denique Imperator ipſe circumiens diu, noctuque, quod factu optimum putaret, monet, præcipit, imperat; quaſique miles ex cæteris unus, opera manuque pleraque exſequi. Quæ reliquis omnibus incitamento fuere. Sed celer Achomates, ac ſolers, quæ noſtri delent, vaſtando tollendoque, impigre ſummittere, ac reficere; eoque brevi rem perduxit, ut pars ſumma propugnaculi diſcuteretur, porta quoque ipſa, ejuſque munimenta. Hæc intuens Maurocenus, *Achomates*, inquit, *nimium eſt ferox*. Cuniculumque ingentem, atque imum imperavit, quo deinde dirumpente, radicitus ſunt aggeres evulſi, & exſtirpati: tormenta, machinæque reliquæ disjectæ, & quicquid militum, foſſorum, aut iſtiuſmodi, qui in opere verſabantur, miſere detritum. Urbs quoque ipſa vi contremuit; barbarique adeo ſunt perterrefacti, ut aliquandiu nemo

mo ex his unus eo ſit auſus accedere. Hiſque *1669.* Achomates vehementer eſt permotus; machæræque ſuæ oblitus jacuit horas aliquot flens, timens, atque deſperans. Mente poſtremo, animoque confirmatus, ſuorumque vocibus, & auctoritate adjutus, conſilium habet. Quærit, quid facto opus ſit: de Molino cogitet, an de Mauroceno. Sententia hæc fuit fere omnium; ut paullulum etiam res armis tentetur. Cuniculuſque ſatis amplus pro conſilio ad propugnaculum decernitur. Brevi perficitur; ſtatimque ſuccenditur; eoque pars muri ima diruitur. Ea cum barbari, Achomate impellente, diraque minitante, ſumma vi irruerent; propeque abeſſet, ut locum obtinerent, Melitenſes, de quibus ſupra demonſtratum eſt, qui proxime in ſtatione aderant, his ſe objecere: pugnaque fuit aſpera horas aliquot; unde ad extremum cæſi hoſtes, pulſique ſunt. Pleraque deinde hoc eodem loco certamina fuere, illaque dira admodum, & truculenta; cuniculis, qui utrinque plurimi fieri cito conſuevere, occaſionem præbentibus. Turca nimirum ſuffodiente, noſtri e veſtigio contra ſuffodere; cumque alteri alteros ſubtus offendiſſent, ibi odio quodam ac deſpe-

Digitized by Google

1669. ratione omnium rerum invicem ſe dilacerare: conſumtaque hoc modo militum ac foſſorum ingens vis. Supra quoque barbaris, qua ſe oſtenderent, vel adgrederentur, Veneti continuo obviam ire, & vincere, aut commori: ſed vincere plerunque; eorum tamen, ex vario genere, ad bina millia intra triginta dies ſunt deſiderati. Quæ res mirum in modum Mauroceni animum ſolicitabat, cum jam res eſſet in ſummo diſcrimine; nec utique haberet, quo manus porrigeret. Ipſeque & Catharinus una circumibant, quo cæteris animos adderent, & avidius pugnarent; quoque periculum majus vocaret, eo præſentes accurrerent. Quæ exſequi audacius dum conantur, uterque repente ſaxi fruſto vulneratur. Eaque ab Achomate dum ad Divum geruntur, Aſiæ Præfectus, de quo ſupra dictum eſt, fortiſſime ad munimentum Sancti Spiritus agitabat. Et natura quidem paullo ferociore, juſſuque Achomatis, & barbaris volentibus, vehementius adgreſſus, rem plurimum afflixerat. Primumque invaſerat magnis copiis: tum continuo iis auctis: pulſuſque turpiter, certium rediit omni vi, quam ab Achomate acceperat. Diuque fortuna anceps fuit, noſtris, an

illi

illi faveret. Poſtremo obtruncatur: barbarique 1669.
fuſi, fugatique ſunt: ex noſtris aliquot deſiderati. Bartholomæus Grimaldus, qui munimento præerat, glande ictus, cum ſtrenue defenſaret, propemodum interiit. Quæ cuncta Achomati delata, hominem re proſpera ferocius ſuperbientem, re porro adverſa, cuncta turpiter formidantem: Diis, hominibuſque iratum, nec linguæ facile parcentem, coëgere, uti his illiſque omni probro, & contumelia malediceret. Conſilium ſuorum habet: illo decernente, ratione ad Divum adgreditur, ſando antea inaudita. Namque propugnaculum, quod integrum & univerſum auferre alio nequaquam poterat: cæſim tollere, ac particulatim nititur: eoque modo imis radicibus delere. Quæ primo milites fruſtra exſequi, ac tentare viſi ſunt: deinde multa cæde, fruſtulum mercati ſanguine plurimorum: plurimis poſtremo, qui non adfuerant, rationem improbantibus. Sed Achomates tamen ejuſmodi fuit, uti nunquam fere dimitteret, quod ſemel imbibiſſet: niti, audere ſuos imperat; ac ſupra naturam, ac fortunam agitare. Cum occumbere, ac diſperire plerique nuntiarent acies militum integras, ut partem lapidis,

 ter-

1669. terræ, cæmenti, lignive quippiam alio auferrent: *Illi diſpereant*, inquit, *dum Divus diſpereat*. Eoque pacto dies ipſos quadraginta in opere verſatus, totum fere miræ cujuſdam magnitudinis propugnaculum, alio tranſtulit, avexitque. Pars erat reliqua interior, eademque exigua, vallo undique alte prædita, quæ niſi itidem illa ipſa, aliave ſimili via tolleretur, ad urbem adſpirare minime licebat. Eaque pars magnis firmiſque copiis a noſtris tenebatur, qui immani quadam copia jaculorum barbaros inde arcebant. Huc ſtatim Achomates balliſtas plures advertit, machinaſque iſtiuſmodi alias, quibus diruere, ac delere omnia cœpit. Cui pleraque molienti ſe ſe Cornelius objecit. Eaque dum aguntur, commeatus, pecuniæ, armorumque magna vis: ad triginta præterea hominum millia, Eunuchi, de quo diximus, hortatu, Lariſſa ab Rege miſſa, in caſtra ad Achomatem venere. Quibus omnibus factum eſt, uti Achomates ex tabernaculo, digito ad Divum ſæpius intento, dira ac ſæva cuncta minitatus, alte diceret: *Et brevi potiar*. Quæ Cornelius vana uti forent, impigre operam dat. Quod tormentis, aliiſque talibus Turca dejicit, disjicit: ipſe e veſtigio jacit, adjicit:

co-

conantemque ſcandere ac ſupervadere, miſſili, *1669.*
milite depellit. Denique in veſtigiis propugnaculi collibus, tumuliſque pluribus eductis tormenta imponit, quibus quæ Achomates in loco ædificabat, e loco ſedulo ac naviter tollebat. Sed Achomates, copiis quas diximus auctus; alioſque jubens aliis cæſis, aliiſque ſuccedere, id maxime agebat, ut noſtrorum paucitas ſuorum aliqua multitudine obrueretur; eoque modo victoriæ laudem invenirent. Vixque noſtri milites, diu noctuque labore exerciti, feſſique reſiſtebant. Ac rati quidem plurimi tum ſunt, ſi cunctis copiis, quæ aderant, barbarus invaſiſſet, futurum fuiſſe omnino, uti potiretur. Sed vel timens, vel ignorans tum minime fecit; minimeque cepit. Idque Cornelius cum animadverteret; ac magnopere dubitaret; mœnia illa tranſverſa, de quibus ſupra dictum eſt, omni undique genere militum, ac machinarum muniebat: eo conſilio, ut, vallo amiſſo, integra eſſet opera, recenſque labos hoſtibus ſubeundus. Reique maxime intentus erat; cunctaque parabat, quæ utilia forent: quæque aptiora pellendis barbaris videbantur: cum repente ignifero globo conſumtus eſt. Nempe Achomates

mates

Digitized by Google

1669. mates projici in vallum magnam illorum vim juſſit: aderatque & urgebat præſens: quibus ſunt diruta ac ſtrata pleraque. Sed ſueti noſtri milites hujuſcemodi; humique corpora celeriter ſternentes, facile vitabant. Quæ ducem dedecere Cornelius ratus: ſimulque ut virtutem oſtenderet; atque ab ſe timorem abeſſe, ſtare quam procumbere ac jacere maluit. Itaque id accidit, uti propter globulo dirumpente, latus ei dexterum ita dilaceraretur, ut ſtatim viſcera fuſa ſint. Cadentem tribuni ac centuriones, qui circa aderant, ſuis manibus excepere. Iſque paullum etiam ſpirans, ferociamque animi, quam vivus habuerat, adhuc retinens, ſe lætum, volentemque pro Patria mori, dixit, cui natus erat: militeſque hortatus, ut ne loco cederent; urbemque impigre defenſarent, inter ſuorum manus poſt paullo exſtinguitur. Cujus obitum Imperator cæterique diu multumque deflerunt.

XXIV. Vir fuit, quem Turca timuit; noſtri vehementer adamarunt. Nulla ei virtus defuit, qua domi aut foris gloria paretur. Adoleſcens ita in oculis civium vixit, ut æquales propter comitatem libenter ſecum haberent. Senes quoque, grandia mirati, & inuſitata pleraque,

que, quibus aliquando ſpes Civitati foret. Belli 1669. initio Trierarchus meruit; & Cretam venit, cum Cydon quidem oppugnaretur; ibique præclara plurima facinora edidit, agendo, tuendoque: graviterque in Conſilio contendit, ſatius eſſe per virtutem mori, quam, abjectis armis, urbem hoſti tradere. Tranſgreſſus in Illyricum hoſtibus formidini, ac terrori fuit: nunquam illis ceſſit; ſæpe etiam parva manu illorum magnas copias fudit; tantique illius virtutem barbari fecere, ut nomen ipſum fando quoque timerent. Bonus conſilio, manu fortis fuit; prudenſque & in ſuſcipiendis, & in providendis periculis, ut nemo fere illi in exercitu æquaretur. Diligens imperii, caſtus, gravis, innocens perpetuo fuit; omniaque ad perſonæ dignitatem referre uſque conſuevit. Laboris, inediæ, algoris mirum in modum patiens fuit. Cibo, potuque exiguo contentus, epulas eſt averſatus. Comis, lenis, in tempore liberalis, par ſummis, facilis infimis, facile obtinuit, ut ab omnibus diligeretur. Ornavitque vitæ laudem præclara mors, quam optarat. Hoc quoque felix, quod urbem Candiam, quam incredibili animi fortitudine defenderat, ſtantem adhuc reliquit; interiitque ipſe ante il-

lius

Digitized by Google

1669. lius interitum. Funus milites pro tempore ſatis amplum concelebrarunt, indicta die per præconem, & carmine recitato, ut *Exſequias Cornelio, quibus eſſet commodum, irent*. quibus Imperator etiam interfuit. Quæ poſtquam Venetiis nuntiata ſunt, mœſtitia ingens Patres tenuit; invaſitque repente Civitatem; auditæque dies plures querelæ, voceſque miſeræ propinquorum. Juſtaque ei deinde, magnifice pro dignitate, Senatus ſolvit; neque ita poſt multo Hieronymum illius fratrem, Equitem creavit, pluribuſque aliis ornamentis familiam Corneliam, quæ magna, atque ampla eſt in Civitate, egregie honeſtavit.

XXV. Senatus deinde de Candia cogitare. Diu noctuque quærere, conſultare, quonam maxime pacto oppugnatione liberetur. Mauroceno opem, & auxilium petenti; docentique litteris, ac nuntiis, quo loco res eſſet, militum ſubſidia, aliaque bello utilia, duodeviginti navibus impoſita, ſtatim mittunt. Præterea imperant, uti biremes undecim ex his, quæ in Illyrico erant, & triremes quattuor Cretam continuo trajiciant. Hiſque cenſent, ac navalibus copiis, quæ ad Inſulam plurimæ aderant, & Gallorum claſſe,

claſſe, quæ adventabat, tentari aliquid oportere. Mauroceno igitur præcipiunt, ut his confeſtim obviam eat; unaque ſimul cum Turca congrediatur; detque maxime operam, ut urbs omnino liberetur, aut oppugnatio minuatur. Quibus cognitis, in Cornelii locum Hieronymum Battaleam Legatum ſufficit, qui curam urbis obtineret, quam ille obtinuerat. Ipſe intentus huc illuc curſare: maxime cavere, nequo loco Achomati irruendi poteſtas foret. Interim ad Sabulonariam magnus fuit terror. Caſtellum enim unum ex his barbari cepere, quæ munimento ei erant. Uti alterum quoque, magna vi nitebantur. Quod ſi eveniſſet, nullo negotio capi navalia poſſe videbantur. Captum itaque uti recipiat, dolo agit Imperator. Nempe parte alia militum manum erumpere ſtatim jubet, qui tumultum faciant, quibus ſunt barbari diſtenti: alia deinde e veſtigio quadringentos, quibus ſunt pulſi, qui caſtellum ceperant. Quo facto noſtris lætitia ingens fuit. Namque plurimum de urbe antea formidarant. Poſt deinde timore modo, modo gaudio egere, pulſis barbaris, aut pellentibus. Æſtas aderat, quo tempore Achomates majore vi acturus putabatur. 1669.

Y Id-

1669. Idque cum animadverteret Imperator : ſimul copiarum vim exiguam ſibi adeſſe, eamdemque opera, ac labore feſſam, aliis ferro, aut morbo abſumtis, pluribuſque vulneratis, vereri maxime, quo pacto impetum, ac multitudinem barbarorum ſuſtinere in tempore poſſet. Nihil de ſubſidiis, de Gallis nihil certi a quoquam afferri: ubi terrarum forent, aut quando adeſſent: noſtrique milites vehementius querebantur, ſe confici labore, ac projici ad certam mortem: quæ cuncta Imperatoris animum vehementer ſolicitabant.

Achomates quoque, his territus, quæ Maurocenus ad mœnia, ac propugnacula agitabat, & Gallorum auxiliis, cæteriſque, quæ adventare acceperat; timere omnino, ac deſperare de urbe cœpit. Itaque anxius trahere, multaque ſecum volvere: illaque maxime, paucis militibus ſi Maurocenus adhuc pepuliſſet; quæ ſpes mox foret, ubi vi ſua Galli quoque auxiſſent? Hiſque ad pacem animum flexit. Molinum Cydone arceſſit; eumque venientem magno honore excepit. De conditionibus cum eo poſtpaullo diſceptat. At Molinus multa facile concedere, ſed niti hoc uno tamen, uti Candia exer-

citus

citus abducatur. Poſtremo, ut is voluit, con- *1669.*
venit. Sed res tamen niſi Heibrahimus quidam, qui cum imperio in exercitu erat: quæſtor quoque, ſuis ſuffragiis probarent, vana omnino, atque irrita erat. Rem igitur Achomates ad eos defert: quæ de Gallis norit: quæque timeat, monet: ſatiuſque eſſe, quam pulſos turpiter, ea ratione urbe decedere. At is uterque contra obniti: pernegare, ſe quicquam probaturos, niſi urbe tradita: idque Regi placere: neque cum hoc dedecore ſeſe ad eum redituros. Eſſe in eo jam uti capiant: jacereque, ac ſtrata eſſe omnia ruinis & cadaveribus. Qui ſint reliqui hoſtium, vix oſſibus hærere, vulneribus, aut labore attritos. Pleraque temere de Gallis jactari: quæ vera cuncta, ac certa uti forent; quid tandem Achomates ab his, aliiſque timeat, cui copiæ militum adeſſent innumerabiles, prædæ cupidæ? Caveret nunc quoque ſedulo, ne pace hoc modo turpiſſime compoſita, capite ipſe ſuo unus pœnas daret. Seque monere, ac dehortari. Militi ſi pecuniam, aut præmia daret; in promtu, faciliaque ei omnia fore; urbiſque cito potiturum, quam triennium oppugnaret: ſeque ad eam rem libentes, volenteſque, quan-

Digitized by Google

1669. tam nummorum vim vellet, dono daturos, de ſuo.

XXVI. Hiſque factum eſt, ut Achomates voluntate dimoveretur. Namque animadvertebat, ſi permaneret, id utique fore, uti paratos apud Regem accuſatores haberet. Sed de oppugnatione tamen cum vehementer timeret, ne irrita foret, neu cum flagitio domum rediret; aſtute cogitat. Achomatem quemdam, vafrum hominem, & acutum, qui prætorianis aliquot præerat, & Panhagiten interpretem ad ſe vocat. Docet, quæ velit: homines deinde ſubmittit ad Molinum, ut quaſi officii, ac ſalutandi cauſſa ad eum venientes, commode eruant, qua occulta maxime ratione queant, ubi in extremum diſcrimen res adducatur, an dedendi urbem ei poteſtas foret. Illi veniunt; imperata faciunt. Negat Molinus. Iiſque rurſus ſuadentibus veluti rem æquam, ac privato conſilio, quod Achomates præceperat, convenire poſſe, ſi urbe everſa de communi ſententia, Venetis in Inſula tamen liceret, alibi exſtruere, quo loco mallent: Candiam, reſpondit, Venetis volentibus, minime exciſum iri. Quibus omnibus cognitis, Achomates de pace

ce deſperans, Cydonem Legatum remittit. Multaque ſecum agitabat, rerum hominumque pertæſus. Quærere dies, noctesque, quonam maxime pacto, mari illo ſcopuloſo, ſalvus evaderet. Secum identidem reputare, homines conferre: vi militum tenui, exiguaque tenere, tuerique urbem Maurocenum, pellere, propulſare: ſe contra præditum, auctumque iis copiis, quæ numerari vix queant, cædi tamen, pelli: agentemque, veluti ignavum pecus, tundi, fundi, fugarique. Quibus factum eſt, uti triſtitia quædam aſpera, ac fœda, indeque morbus hominem invaſerit, quem labores quoque diuturni plurimum auxere, quos, belli cauſſa, ſuſceperat. Perque hoc ipſum tempus Lariſſæ Rex gravi premi valetudine, ac diſtineri cœpit, quam afflixerant immodicæ voluptates, cyllo, venter, ganea: quæque nunc etiam tenet; diuque, quantum proſpicio, Heroas obtinebit, piſcationis & aucupii intemperantia, ac reliquæ venationis: Quæ cuncta miſcuerunt. Namque prætoriani; quæque Lariſſæ aderat, Regis cauſſa, ingens mortalium multitudo, cum intra ſepta Regem contineri viderent; nec pedem porta jamdiu efferre: primum jacere rati, cauſſa voluptatis, gau- 1669.

dium

Digitized by Google

1669. dium ipſi quoque, ac lætitiam agitabant. Deinde cum exiſſet, morbo paullulum conflictari; uti eſt genus hominum inquies, acre, mobile, ſuſpicioſum, vereri, timere: alius alia dictitare: pro re atque ingenio morbum augere, vel minuere. Poſtremo cum ſe nuſquam oſtenderet; pauciſſimique admitterentur, mortuum jam eſſe hominem opinati, conclamarunt; poſtque repente tumultuari cœperunt. Latiuſque ejus rei fama, ac ferocius manabat; plurimumque veriti, qui intus erant, ne his talibus & urbs libera foret, & de jubendo Rege homines cogitarent, Mahumetum cogunt de lectulo ſurgere; ac vix hærentem ad feneſtram repere; ſeque militibus, ac cæteris oſtentare. Quod vix vi ille fecit, ægreque fere, ac nolens. Qua re tamen barbari, quominus de pellendo prædicarent, nequicquam ſunt retardati. Jamdiu nimirum hominis tædebat; eumque, qui majoribus clariſſimis naſceretur, minime dignum judicabant. Levem eſſe, ſtolidum, popinonem, mulieroſum: ſedem, quam illi virtute, ac laude ingenti cumulaſſent, ipſum turpiſſimis libidinibus perpetuo fœdam feciſſe. Aliique filiolum, annos ſex natum, alii fratrem Solymanum Regem

gem creari oportere, paſſim dictitabant. Quæ *1669.* uxor celerrime ad virum defert; iſque fremens, atque iratus, fratres continuo jugulari jubet. Id ne fieret, mater, filiorum caritate ducta, fuit impedimento; quæ, re cognita, milites pluribus eſt cohortata, qui Bizantii erant, ne fieri paterentur. Illique continuo, arreptis armis, concurſuque facto ad interiorem partem ædium, quæ gynæconitis appellatur, qua illi adſervabantur, multis minis obtinuerunt, ne injuria fieret. Quæ tulit Mahumetus animo iniquiſſimo; iratuſque matri, quod in cauſſa fuiſſet, ſe brevi domum rediturum eſſe dixit; ſuppliciumque de muliere, deque fratribus ſtatim ſumturum. Seditio deinde Bizantii pene fuit, nummorum cauſſa, quos deteriores homines externi intulerant, qui ibidem mercabantur. Eorumque magna copia in vulgus manarat, quos majores magiſtratus edicto poſtremo vetuere. Quibus evenit, uti plebs, ad quam potiſſimum ejus rei jactura pertinebat, ad vim, armaque confugeret. Inde plurimæ direptæ domus, tabernæ incenſæ, magiſtratus violati: ipſaque urbs univerſa formidine, ac terrore completa eſt. Quæ Achomatem, morbo atque oppugnatione feſſum, vehemen-

Digitized by Google

1669. hementer permoverunt. Namque animadvertebat, Rege pulſo, ſe quoque continuo pulſum iri; quod Mahumeti dominatione ipſius dominatio niteretur.

Itaque ubi horas aliquot conſultaſſet; tandem homines duos prudentiſſimos, quorum etiam erga ſe fidem, ac benivolentiam jamdiu norat, Heibrahimum, qui princeps præerat prætorianis, ad ſe venire jubet, & Caſtanum quemdam, qui in claſſe cum poteſtate erat; quorum alterum Bizantium mittit, qui componeret, quæ mota erant; daretque operam, uti mater cum filio in gratiam rediret: Lariſſam alterum ad Regem, qui, quo ſtatu oppugnatio foret; quæque afferrentur de auxiliis Gallorum, nuntiaret; quæque Rex cenſeret, fieri oportere, ſtatim ad ſe referret.

XXVII. Porro Heibrahimus, Achomatis voluntate, ſtatim ſe in viam dat; primoque Cydonem ad Molinum venit, quocum diu egit de bello componendo, Candiaque dedenda. Fruſtra. Bizantium inde brevi tranſgreſſus, cum ſeditio illa quieviſſet, quæ impendebat, de matre ſedulo agit, nequid impræſentiarum ab ea Rex timeret. Quarum rerum omnium confeſtim

Acho-

Achomatem certiorem fecit. Quibus recreatus, *1669.* Interpreti, cujus ſupra meminimus, negotium dat, uti per litteras ad Legatum de pace prædicet. Illique uſque, quæ reſponderat, reſpondenti, id denique additur; cum Achomate hac lege convenire licere: *Uti Candiam Veneti ſibi retineant: Tenon tamen inſulam, & Aſcrivium Regi tradant*. Quibus cum fraudem aliquam ſubeſſe, Molinus ſuſpicaretur, tum nihil reſpondit. Lariſſa interea Caſtanus rediit. Quamque vehementer Achomates optarat, belli finiendi poteſtatem, Rex fecit. Lætus maxime ea re, per Interpretem cum Molino agit. Ait, ſi velit, pacem tandem hoc pacto fieri poſſe: idque Regi, ſibique probari, ut quaſi ex ſemiſſe ab utriſque hæreditas cernatur: jugaque montium, parente optima, natura ſita, partes veluti Inſulæ feciſſe: quodque cis ſit, alteri: alteri, quod uls, jure teneant. De Rege tamen fœderi addi placere, uti Amphimalia quoque, Grabuſæ, Tenos ei tradantur. Quæ Achomates ita ab Legato petebat, ut aliquid tamen de conditionibus remiſſurus videretur; ſiquidem aures his volens præbuiſſet. Sed ei poteſtas nulla, quæ antea fuerat, tum fuit, pacis componendæ, quam Sena-

Z tus,

Digitized by Google

1669. tus, auxiliis Gallorum fretus; iiſque ſperans, pelli ab urbe Turcam poſſe, paullo ante ademerat. Id unum reliqui illi fecerat; quæ Rex afferret, de his continuo uti per litteras referret. Quæ itaque de pace mentio tum fuit; quamque fieri licuit, ea de cauſſa tunc hæſit. Sed fuit tamen Mauroceno, inde uſque illi tradita ab initio imperii, hac lege: *Si de tuenda urbe deſperaret, paciſceretur; Claſſique conſuleret.*

XXVIII. Galli interea feſtinabant; eo magis, quod de acriore oppugnatione audiebatur; quamque reſiſtendi exigua ſpes foret. Ac Rex quidem veritus, ne Vandeletium, qui Bizantii Legatus aderat, barbari violarent; quod in moribus, neglecto Jure Gentium, illi habent, datis litteris, redire jubet; miſitque ad eum hoc conſilio naves tres. Is tamen Lariſſam ad Mahumetum veniens, ut decedens ſalutaret, ab hoc rogatus multis precibus, ne abiret, Lariſſæ manſit: ſive honori ſuo, atque utilitati ſerviens, ſive alia de cauſſa. Sed Galli denique, ad novem millia, III. Nonas Junias, oram ſolverunt: claſſiſque fuit ornatiſſima ac pulcherrima, quæ Diam XIII. Kal. Quintiles tandem pervenit, unde Bellefortius ac Noallius ſtatim

Can-

Candiam tranſmiſere: Eodemque tempore, quæ 1669.
Pontifex, quæque Melitenſes auxilia miſere: quæque Senatus item militum, telorum, tormentorumque, & iſtiuſmodi multa, quæ bello uſui ſunt. Quibus omnibus civitati animus crevit; ſpeſque fuit amplior: cunctique, alter alterum, ad ſalutem, ac libertatem ſunt multimodis cohortati.

Porro Maurocenus, viribus auctus, conſilia cum Gallis, cæteriſque, quibus jus erat, ſtatim init: qui, quo loco res in urbe eſſet, ſinguli antea viderant. Quæritur, quid facto opus ſit. ſententiæ ordine dicuntur: ab aliis aliæ. Denique ad extremum ex his alterutrum omnibus placuit, ut aut erumpant univerſi; eoque modo belli fortunam quærant: aut intra urbem ſeſe contineant; eaque ratione oppugnatio extrahatur; caſuque imbrium, qui multi ac magni per autumnum in Inſula potiſſimum eſſe ſolent, abſtinere Achomates cogeretur. Ac pluribus quidem contendit Maurocenus, uti cuncti in urbe forent: neve erumperent. Fieri hac via, uti Achomatem diſtinerent, ac fatigarent; ſervarentque urbem facile eo anno. Boni aliquid interea accidere poſſe. Sed Bellefortius, quique

Z 2 Galli

1669. Galli aderant in Conſilio, vi ſuorum freti, animiſque, qui ingentes erant, cenſuerunt, ſalutem hac una in re, ac dignitatem ſitam eſſe, ſi erumperent. Porro Imperator, Mombrunius quoque multimodis ſententiam improbare; quique bello meliores erant plerique omnes. Illi nullo modo dimoveri. Exeunt igitur, alter ex altera parte, Noallius & Bellefortius: quæque a ſuis, cæteriſque fieri velint, docent. Impetum in hoſtem, ac vallum faciunt; tantaque vi homines irrupiſſe ferunt, ut prope momento ordinem primum, atque alterum operum, tertium continuo ſuperarint; cæſis ubique, & obtruncatis, qui, uti tuerentur, ſeſe objecere. Quare barbari perterrefacti, qui proxime in ſtationibus erant, cuncti fere in colles proximos diffugiunt. Galli, re læti, recta ruere ad aggeres tormentorum, uti potirentur; ratique in loco plurimum laboris, & contentionis fore, poſtquam venere, deſerta omnia fuga Turcarum vident. Id erat reliqui, uti tumulos caperent, quos Achomates ad ſalutem ſeptis plurimis ornarat: quo facto, victi barbari, Galli utique victores erant. Fierique inde fuga cœpta erat, ut omnia in ſpe magna forent; cum caſu repente acci-

Digitized by Google

accidit, ut in pulveris tormentarii cados binos ſcintilla incideret. Ea incendium factum eſt, quo Galli milites ad triginta ſunt conſumti. Id cæteri, quod erat, minime exiſtimantes, ſed cuniculum a barbaris ſuccenſum, quo omnes exſtinguerentur: aliosque deinde ſuccenſum iri: ultra progredi noluere; tantuſque terror eos cepit, ut omnes continuo terga verterent. 1669.

Atque ego quidem ſic accepi, Noallium ac Bellefortium, claros antea viros multis egregiis facinoribus, clariores tamen ea die fuiſſe. Nanque re ab his, uti erat, cognita, ut cæteros quoque docerent, magnopere conati, huc illuc curſabant. Singulos manu prendere, atque hortari: monere laudis, gloriæ, victoriæ: ſupplices obteſtari, rogare, uti paullulum etiam animum retinerent. Denique ne paterentur, barbaros victos nulla ſua opera, ac labore vincere ac ſuperare. Quæ nequaquam movere. Namque formido ita omnium animos occuparat, ut nihil veri cernere, vel audire poſſent. Itaque a ſuis deſerti, coguntur, infecta re, querentes dolenteſque in urbem redire. Quæ ubi Achomates animadvertit: ignarus, qua potiſſimum cauſſa id fieret, ſuos inſequi jubet; tergiſque fugientium

tium

Digitized by Google

1669. tium inhærere. Cædes magna fit; feruntque ex Gallis plures vulneratos: ad quingentos quoque cecidiſſe. Quod ſi Maurocenus, rem e muris conſpicatus, auxilio ſtatim cum fortiſſimis quibuſque non accurriſſet, peſſimum facinus eo die patratum foret. Rem porro fœdam, atque atram mors Bellefortii fecit, qui, quo pacto diſperierit, adhuc in incerto eſt. Plerique credidere, a barbaris interemtum, dum ſiſtere ſuorum fugam conaretur: alii a Gallis ipſis in fuga protritum: alii alia. De corpore quoque dubitatum, an illud foret, quod deinde repertum eſt inter occiſorum cadavera, veſtibus, armiſque inſigne. Libens id quidem certe credere Achomates voluit, ut ſibi, ſuiſque decus aſſereret hominis fortiſſimi obtruncati; eumdemque ferunt, robur formamque illius diu contemplatum, multimodis irriſiſſe: ad extremum imperaſſe, ut caput præcideretur. quod, neque ita multo poſt, Lariſſam ad Regem miſit. Iſque, etiamnum valetudine diſtentus, iraque percitus in matrem, æque munuſculo, ac ſi capta urbs foret, dicitur oblectatus; illudque celſo in loco, atque illuſtri diu eſſe voluit, ut ab omnibus conſpiceretur. Poſtremo, ut Turcam decuit, barbarum ni-

nimirum, ac moribus truculentis, projici juſſit 1669.
in ſterquilinium. Atque is quidem fuit exitus Bellefortii, magni viri; quoque Gallorum nemo major antea fuerat, quæcumque pacis, aut belli artes attendantur. Quem Rex deinde, quem Gallia univerſa diu, multumque doluit, letho hoc, fortunaque belli diſperiiſſe.

XXIX. Porro Achomates, cui, fugam, ac dedecus meditanti, victoria inſperata obtigerat, cum deinde quæreret, quonam maxime facto, victor tandem evaſiſſet, a ſuis monitus, quemadmodum res geſta foret, cognovit: fortunæque illius diei, non virtuti tribuendam. Sed fractam tamen vim eſſe, & audaciam Gallorum, dictitans, Deorum voluntate; qui ne verbo quidem violati ad injuriam acceſſiſſent, lætitiam, & gaudium impotens agitabat: minimeque interitus hominem tangebat tot miſerorum, qui paullo ante a Gallis erant obtruncati; quorum numerus ad mille fuit trecentorum. Intus vero noſtros formido ingens, ac triſtitia invaſit; quæ cuncta obitus Bellefortii, Gallorum ſqualor, ac Noallius incuſans augebant. Sed Noallius tamen, ſimul ut palam objurgaret; ſimul quoque ut ſuos ad virtutem rurſus accen-

Digitized by Google

1669. accenderet; eos vocat ad concionem. Ait, perfidia factum paucorum, atque inſcitia, ut calamitas ſuperioris diei, ac dedecus ad Gallorum gentem, armis belloque inclitam, pertineret: Se miſerum, qui turpia ac fœda ea vidiſſet: qui præſens: qui nitens: qui inclamans: qui lacrimis, ac vocibus hortatus, ignominiam tamen a ſuis detinere nequaquam potuiſſet! Victoriæ laus, urbiſque liberatæ quam longe a Gallis abfuiſſet? Dolere ſe, conqueri fortuna bruta, atque aſpera relictum, ut adhuc vivat: ut Belleſortio, viro magno, ac memorabili, ſuperſtes ſit: ut Gallos cernat, infamia turpificatos. Quo ore tandem ad Regem redeat? quo in Galliam? ſimulque vertens ad Divorum templa, quæ circa erant; & manus oculoſque in cœlum tendens, Deos homineſque obteſtabatur: ſævi ut eſſent judices orabat: ſævi dirique teſtes: de ſe ſupplicium prodigio aliquo, terræ hiatu, ictu fulminis, facta vi quoque ſumerent, ſi ſe quiſpiam affirmaret ſibi defuiſſe. Victum Achomatem viciſſe. Quo poſtquam venit, ad os manus, ad oculos, ad frontem idemtidem intendit: ſibique minitatus, diu hærens tacuit. Poſtremo, quaſi repente mutatus, virtutem minime

me conſumtam eſſe, prædicans; hortari, uti, *1669.*
qui fuerant, eſſe etiamnum meminiſſent: delerentque maculam omnium ſanguine. Dicenti vera, atque ex animo, concio acclamavit: *Veniam daret: duceret, quo vellet: mori univerſos, aut vincere paratos.* Neque ita poſt multo Venetiis nova ſubſidia venere, quibus cum eſſent noſtri aucti; Gallique milites avere pugnam viderentur; plures hortabantur, ut erumpere liceret; fortunamque rurſus experiri. Sed Gallis ducibus, qui ſuis magnopere diffidebant; illorumque ingenia probe norant; id minime placuit. Nanque ubi tuba prœlii ſignum aliquod, aliave re daretur, terreri ac formidare homines animadvertebant. Hiſque omnibus factum eſt, ut Maurocenus, diu animi dubius, anxiuſque foret. Poſtremo, Conſilio advocato, in tanta fortunæ, hoſtiumque aſperitate, quærit, quid ſinguli, quid univerſi in rem putent. Denique decernitur, ut mari Claſſe Achomatem adoriantur: urbe interea cuncti egrederentur, ſi quippiam procederet; hoſtiumque res in caſtris turbarentur; eoque pacto victoriæ laudem, & caſum tentare. Quæ pleraque omnia perfugæ ad Achomatem ſtatim deferunt. Auſter tum fla-

 bat,

Digitized by Google

1669. bat, dum iſthæc agerentur; dieſque aliquot tenuit. Tandem reflavit; ac IX. Calendas Sextiles navibus adgrediuntur; cujus fuit rei infelix quoque exitus. Damni enim a noſtris plus acceptum, quam illatum; quod noſtræ naves, æſtu actæ, fluctuque, tuto jaculari, & collineare minime poterant: partemque maximam fruſtra nitebantur. Contra ea barbari, terra agentes, tutiuſque, qua cernebant, ictu facile naves vulnerabant. Quibus quoque evenit, ut triremes aliquot fœde, ac miſere multatæ ſint: in his Gallorum & Pontificis prætoria utraque. Hæc Achomates animadvertens, ſuos in caſtris quietos eſſe juſſit; noſtrique minime exierunt. Sic re irrita, Claſſis deinde Diam conceſſit; ibique diu fuit.

XXX. Noallius interea ſuorum viribus perpetuo diffidens; ac multum querens, dimidia conſumta militum parte, nihil ſe tamen profeciſſe, de reditu cogitat in Galliam. Quæ injuſſu Regis utique agitabat. Rex enim pedites mille ſtatim mitti juſſit; eoſque Belleſontium ductare, virum egregium, ac bello clarum; atque eruptionem accepit minime ſucceſſiſſe. De qua re Patres moniti ab Legato: ſimul Belleſontium

mille

mille alios adjeciſſe; gratias multis verbis Regi 1669. egere; ſubſidiaque ipſi parabant, quæ pro tempore una confeſtim mitterent. Sed Achomates magnopere inſtabat. Sic opinabatur, Gallis profligatis; cæſiſque & imminutis qui in urbe erant, exitium urbi proxime impendere. Urgere igitur: monere ſuos: hortari, minitari, impellere, uti denique potiantur. Tribunique, illius juſſu, centuriones, cæterique, qui in claſſe, vel exercitu poteſtatem, vel curationem aliquam habebant, diu noctuque hac illac curſabant; finem laborum, & aſperæ militiæ jam adeſſe prædicantes: decus, gloriam, captæque urbis laudem, victique Veneti Imperatoris, a quo ſint tamdiu fatigati; quemque rati diu forent mortalem eſſe quem vincere mortales nequaquam poſſent. His, aliiſque talibus Achomates operam dat, ut irrumpat ad Sabulonariam. Opera admovet: agit ubique acer, atque infeſtus. Denique tormentis pluribus, ac balliſtis magni oris partem propugnaculi excuſſit. Quo facto, urbi viſus eſt minitari; eaque facile irruere ei licere. At Maurocenus tum præſens uſque adeſſe: alia atque alia ex tempore imperare: pleraque quoque ipſe exſequi: labore atque opera minime fatigari;

Digitized by Google

1669. neminemque pati in tanto diſcrimine ſegnem, aut otioſum eſſe. Manipulos idemtidem exire jubet, qui diſturbent. Idque cum minus ſuccederet; cogi plurima celeriter, ac parari jubet; quibus per noctem in ora foſſæ, quæ erat ad opera, caſtellum repente ædificat. Quo barbari plurimum ſunt retardati. Namque eo objecto, cum alteri alteros vehementer urgerent; invicemque pellerent; ingentique vi noſtri, illique niterentur; magna utrinque cædes facta eſt. Ibique clari viri cecidere, in primis pugnantes, Hieronymus Naugerius, Antonius Canalis, Fridericus Bembus, aliique ex Veneta Nobilitate non pauci. Eaque dum fiunt ad Sabulonariam, Achomates majore quadam vi, numeroque hominum omnis generis ad Divum pugnabat. Vallo everſo, quod ad mare extra mœnia deduxerat Maurocenus, ad murum interiorem nitebatur. Sub terram fodere cuniculos: ſupra quoque aggeribus, vineis, aliiſque pluribus iſtiuſmodi machinamentis omnia vexare. Eo quoque ire, redire Maurocenus, ac multimodis ſubvenire. Sed cum appareret, propediem barbarum invaſurum, cuniculos cito binos imperat; eoſdemque confici ſub ruinas propugnaculi. Quibus

bus poſtpaullo ſuccenſis, late aggeres: quæque *1669.* cuncta Achomates excitarat, ſunt ſubverſa; viſque magna hoſtium conſumta. In his Mahumetus periit, ex his unus, qui Aſiæ minori præerant: homo acer & bellicoſus; Achomati vehementer carus: graviterque eſt vulneratus Heibrahimus, cujus ſupra meminimus. Quæ facile Achomatem alias perterruiſſent; ſed tum tamen nihil moverunt, vel turbarunt. His enim fretus, quæ acciderant, & ſuis viribus, reliqua minimi omnia faciebat; & in ſpem certam venerat brevi urbe potiundi. Statim opera reſtituit: ex integro parat: adgreditur: prœlia facit plurima, adverſa alia, alia ſecunda: muros quatit: diruit: molem quoque educit ingentis magnitudinis, unde urbi imminet; denique eo rem perduxit, ut cuncti tandem de ſalute deſperarint. Quæ cum cerneret Maurocenus, Vincentium Roſpilioſium Dia ad ſe vocat: idque factum eſt Calendis Sextilibus. Cum eo una Noallium convenit, qui morbo æger decumbebat. Apud eum Conſilium habet. Quo loco res forent, etſi omnes tenebant, ipſe tamen, aliqua præfatus, ediſſeruit. Ægre ſententiæ dictæ ſunt; in diſcrimine cunctis hærentibus. Tum Mauroce-

1669. cenus, cæteris trepidis, docuit, rei expediendæ rationem unam hanc ſibi in præſens videri, ſi Veneti Gallis admixti, ad tria millia ſtatim erumpant: ſeque ducem fore profitetur. Vincentius continuo id probat: ad hoc ex ſuis ſexcentos, & ex Melitenſibus additurum. Sed Noallius utrique adverſari: cauſſari multa, metum in his, numerum ſuorum imminutum, plurimorum vulnera, morbum: quæ cæteri, qui in Conſilio aderant, cum rejicerent; ferendamque opem affirmarent copiis, quæ forent; ac labenti urbi ſubveniundum: excanduit; & in cubitum innixus, mirari ſe, dixit, etiamnum homines de injuria inferenda, tuendaque urbe cogitare. Conſilia hæc vana eſſe: paullo ante cecidiſſe. Nunc ſaluti conſulendum; quaque lege hoſtibus urbem dedant. Dimittitur Conſilium, iratis omnibus, idque quærentibus, quidnam Noallium, qui paullo ante Gallos in concione proſciderat, & incuſarat: rogarat denique, ut eſſent memores priſtinæ virtutis, ſententia tandem dimoviſſet? Plurimumque ſermonis inde ſubiit.

XXXI. Sed Turcæ interea undique urgebant. Terror, vis, impetus ubique: pernicies

&

& exitium impendebant. Noſtri in tanta rerum, atque hoſtium iniquitate fortiter agitabant; ſed jam ut cernerent diutius injuriæ pares non fore. Redit ad conſilia Maurocenus; hiſque cuncti, qui antea, interſunt. Ait, deſpondere animum neminem debere. Trahi oppugnationem poſſe, inde in menſem tertium, iis militibus, qui in urbe, & Claſſe ſint. Hieme deinde Achomatem injuria, ac maleficio prohibitum iri: ſubſidiaque interim, & auxilia a Venetis, ac Regibus adfutura. Eaque cum Imperator pluribus ediſſeruiſſet, convertit ad Noallium: orſuſque eſt aliquot, ut flecteret. Ille continuo interfari. Denuntiat, cum ſuis una, poſt dies paucos, in Galliam rediturum. Hic, qui intererant, primum vehementer mirari: tum rogare, ne id faceret, omnes cœpere. Ubi nihil impetrant, ira periculoque acti, fremere, ac multis modis homini conviciari. His, aliiſque pluribus anxius Maurocenus, tum commeditari, quonam maxime pacto, vim fortunæ vinceret. Se quidem, viribus exiguis, attritis, ſolum fere, in ſpe nulla auxilii eſſe. Turcam locupletem, aſperumque urgere. nihil remittere. Quibus nequaquam victus eſt. Tendere ingenio, animoque. Sedulo *1669.*

repu-

1669. reputare, qua ratione oppugnationem trahat. Denique, quo diſtineat, nova mœnia in urbe imperat, tranſverſa. Eaque dum fiunt, interea nuntiatur, Picum Mirandulanum cum navibus Zacynthum veniſſe: cum aliis item Antonium Bernardum prope abeſſe. Quibus eſt ſpes injecta civitati. Niti itaque tum Maurocenus, cæterique: Noallium rogare, atque obſecrare, ne diſcedat: aut, ſi hoc malit, diem diffindat, dum brevi illi adveniunt. Pernegat: in hoc manet. Tum ferunt, Jacobum Contarenum, Ducem Candiæ, ad eum veniſſe. Magna gloria vir, magnoque uſu, bello Cretico, paratu militum, & armorum fuit. Multaque ejus ductu ad eam diem curata diligenter. Faciem cernebant, & figuram oris, totiuſque corporis, aliquot advorſis cicatricibus, & brachio obtruncato; eumdemque membra reliqua, quæ fortuna auferre voluiſſet, ultro offerentem; ut vitam deinde in libera civitate cum laude ageret. Hunc longo agmine puerorum turbam, & fœminarum conſecutam; quique reliqui in urbe erant. Supplicem, plorantemque hortatum eſſe, ne desereret; &, cum ei liceret, urbem ſervaret: neu pateretur, barbarum civitate ea potiri, in

qua

qua Galli forent, fide ac virtute incliti. Cerneret mœnia pene diruta, domos intectas, parietes templorum ambuſtos; ac miſereretur. Ferre ne poſſet Deorum aras ab hoſtibus fœdari? eorum oſſa in amnes, ac mare projici, qui pro libertate, ac religione occubuiſſent? Virgines ad ſtuprum rapi, & pueros ingenuos; illaque pati, quæ victori Turcæ collibuiſſent? Aliaque dicere pergentem Noallius monuit, ſe tamen abire velle; abiitque mox: is fuit dies XII. Kal. Septembres, quem atrum deinde Cretenſes dixerunt. Viſa hæc ſæva, & inhumana: eaque impia plures appellarunt: fœdarunt quidem certe quæ præclara, ac magna illius facinora memorabantur. Diuque poſt Rex aditu prohibuit: fuitque inviſus & inteſtabilis, ubi in Galliam venit. Indeque peſtis poſt paullo, atque exitium urbi evenit, fuga quoque plurimorum. Ex noſtris enim militibus aliquot laborum pertæſi: ſimul veriti, ne propediem caperetur, clanculum exceſſere; ſeque Gallis commiſcuerunt. Deinde, neque ita poſt multo, Roſpillioſius deceſſit, hoc dictitans: Gallis abeuntibus, ſe injuriæ pellendæ parem non eſſe: ad hoc, ſi barbari, Romanis ſpectantibus, oppido potiren- 1669.

1669. tur, id fieri, ut armorum ac Pontificis majeſtas quodammodo turpificetur. Neque, contra Mauroceno adnitente, quominus abiret, impetrari licuit. Quo facto, omnium vocibus, ac ſermonibus diu multumque eſt laceratus; verſiculique & carmina ſcripti plurimi, ac recitati; iique inepti partem magnam, ac futiles fuere. Qui tamen ſcripſerat, ut ſibi ſapere multum videretur, illa prædicare auditus eſt, aut his ſimilia: *Tibi Theogonius ego videor*, (t) λογιώτατος? Quæ ſolet eſſe ſcurrarum ac ludiorum iſtiuſmodi vana, & inſolens oſtentatio.

AN-

ANTONII ARRIGHII
DE VITA ET REBUS GESTIS
FRANCISCI MAUROCENI
PELOPONNESIACI
PRINCIPIS VENETORUM
LIBER III.

INterim Picus, de quo ſupra dictum eſt, cum claſſe venit, in qua tres & triginta variæ formæ naves fuere: eaque noſtrorum animi ſunt vehementer recreati. Nam vulneribus ac labore attriti, quem diu, noctuque propter hominum penuriam ſuſcipere cogebantur, vix vim hoſtium, atque impetum ſuſtinebant: vixque in opere verſabantur. Militum copia aliquanta allata eſt: pleraque item bello utilia, quæ Achomatem, plu- 1669.

 ribus

Digitized by Google

1669. ribus lætum, paullulum perturbarunt. Namque timuit, ne his in hiemem oppugnatio traheretur; indeque evenirent, quæ Maurocenus animo agitabat. Statim itaque conſilium indicit: brevique narrat de profectione ſociorum, de ſubſidiis: quæque in urbe præſidia hominum ſint. Ad hoc timere, ne Maurocenus ſuis artibus rem extrahat; illaque deinde fortaſſe fiant, quibus urbs e manibus eripiatur. Regem furere, atque in dies magis Lariſſa minitari; ſibique optimum factu videri, ſi continuo magna vi adgrediantur. Id ipſum cæteris, qui aderant, placuit. Igitur e loco ad ſexmillia peditum lectiſſimorum ad Divum irruunt: quattuor quoque ad Sabulonariam. Quæ Maurocenus, a Turca factum iri, diu mente ante præceperat. Itaque paratus pro copia aderat. Ad Divi propugnaculum, Jacobum Cornelium, & Bartholomæum Grimaldum agitare jubet: ad Sabulonariam, Hieronymum Battaleam, & Danielem Maurocenum, viros fortiſſimos, Henricum quoque Chimanſechium, qui a Cæſare paullo ante cum aliquot militum manipulis auxilio venerat. Loca urbis reliqua ſatis pro tempore munit. Ipſe vero, navalibus timens, ad Sabulonariam manere

nere decrevit. Prœlium ibi ſævum, atque atrox *1669.* fuit: barbaris pro imperio & poteſtate: noſtris pro ſalute ac libertate, iniquaque dimicatione poſtremo certantibus. Sed erat ad Divum pugna acrior. Quo loco Achomates nitebatur cum bello melioribus: ipſeque princeps urgebat. Cæteri quoque, homine impellente & inſpectante, avidius rei operam dabant; aliiſque cæſis impigre alii ſuccedebant. Ibi tum in ſummo diſcrimine res fuit. Igitur Maurocenus celerrime accurrit. Eum ſequitur Patriciorum manus; plerique etiam illorum, qui cum imperio erant: in his Mombrunius. Iſque natu magno, uti dictum eſt, nec viribus corporis multum valens, virtute tamen, animoque potens, pollenſque: galea, gladio, atque haſta ornatus, ſtationes magna cura ſingulas obire: conſulere, providere; milites cohortari. Aliaque talia ubi perfecit, poſtremo conſtitit ad murum interiorem; quem ei locum Maurocenus multis verbis commendavit. Eaque ad Divum dum fiunt, accidit, ut male a noſtris ad caſtellum Divæ Pelagiæ, quod ad mare pertinet, res ageretur. Illud Achomates tormentis aliquot fere diruerat; ſed erat tamen adhuc ejuſmodi, ut inde barba-

ris

1669. ris etiamnum noceri poſſet. Itaque Mauroce-nus manum exiguam ibi locat. Monet, ubi res ad manum veniret, uti telis primis emiſſis, locum continuo deſerant; ad Divum concedant. Quæ juſſa minime illi fecere. Pars igitur cæſi: cæteri metu ſeſe fugæ præcipites dant. Eaque dum faciunt, Brunſvicenſes, qui propter in ſtatione aderant, & ipſi timent, ac tumultuantur. Barbari tum magna vi ibi agere, irruere. Denique caſtellis tribus, quæ pro vallo erant, potiuntur; indeque in vallum irrumpere conantur. Perfringunt locis duobus; aliiſque adgreſſi, prope aberat, ut ſe inferrent. Quo facto, victoria in manu erat. Tum Mezambuchius, qui Brunſvicenſibus, de quibus ſupra demonſtratum eſt, præerat, ſeſe jacit in medios hoſtes; aliique hunc ſequuntur, pugionibus diſtrictis. Id ipſum cum ſuis Grimaldus facit. Qua vi hoſtes ita ſunt repreſſi, ut tamen appareret, diutius noſtros illorum impetum ſuſtinere non poſſe; quod pauci feſſique pluribus atque integris opponerentur. Itaque Mombrunius his, qui ad vallum erant, imperat, ut ſtatim egredientes, in barbaros ferantur. Quod illi faciunt: eodemque tempore ab latere Petrus Gabrielius fert

cum

cum militibus quadringentis. Quibus Achomates coactus eſt pedem referre. Eaque dum fiunt, prætoriani magnis ululatibus, magnaque audacia, qua urbs eſt ad mare, invadunt. Ac rem ipſam quidem eo brevi adduxerant, ut murus interior in diſcrimine foret. Id intuens Maurocenus cum his continuo accurrit, quos in ſubſidiis locarat. Pellere conatur: & alios quidem cædit, alios obtruncat. Sed cum cerneret ea manu copias ingentes hominum audaciſſimorum pelli minime poſſe: eoſque confertos & conglobatos ad eam urbis partem vehementer agitare, cuniculum ſuccendit, quem quidem ibi antea pararat, quo partem maximam ſunt conſumti: reliqui vero perterriti diffugiunt; quo tempore caſtella tria, quæ ad vallum erant, de quibus ſupra dictum eſt, noſtri recipiunt. *1669.*

II. Interim ad Sabulonariam acri prœlio, ſævoque dimicatum eſt. Caſtella fere cuncta, quæ circa erant ædificata, Turcæ ceperant. Quo facto, propugnaculum invadunt. Fit magnus utrinque clamor: telorum quoque utrinque, ignium, jaculorum ingens vis. Poſtremo hoſtis, ſuperans multitudine, ſcandit: ſignaque in rutuba aliquot figit: lætarique tum, ac magnis

voci-

1669. vocibus ululare. Id Mauroceno ſtatim nuntiatur: iſque advolat: rem cernit in extremo diſcrimine: ibique ſi diutius conſiſtat, de urbe actum eſſe. Numerum nimirum auctum iri, qui deinde minime pelli queat. Itaque in tempore, qui aderant, advocat, cogit. Accurrit cum Chimanſechio, & Battalea una: hoſque ſequitur Aloyſius Minius, qui tum Trierarchus erat: Daniel item Maurocenus, cujus ſupra meminimus. Tantaque vi, his Ducibus impellentibus, a noſtris pugnatum eſt, ut brevi barbari inde pulſi ſint. Minium ferunt, ea die, præcellenti quadam virtutis laude enituiſſe. Princeps enim in armatas hoſtium copias ſeſe immiſit: ac cæde ingenti, viam cæteris munivit. Caſtellaque recipiuntur. Quæ cuncta etſi læta, ac laudabilia, Imperatori tamen gravi curæ fuere. Namque animadvertit, trecentos fere ad eas res conſumtos eſſe: auxiliaque dilapſa ſociorum: ad hoc tenui ſe copia intus eſſe: minimeque diutius Achomati, cunctis locis in dies magis ferocius agenti, ſe parem fore. Itaque anxius trahere. Porro timere, ſi præfractius contendat, ne locus ſaluti ullus ſit. Conſilium igitur ſuorum advocat: quos ut veniſſe vidit, hujuſcemodi oratione uſus eſſe dicitur:

Annum

Annum tertium vobiſcum una urbem hanc ego tueor 1669.
Imperator, atque defendo. Facta pleraque fortia, veſtraque, noſtrorumque militum laudantur: ſuntque in ore & Græciæ, & Italiæ, cæteriſque gentibus univerſis. Quæ Galli item: quæ Melitenſes: quæ ſocii reliqui glorioſa, magna, ac magnifica patrarunt, cui mortalium ignota eſſe queunt? Qui Turcam frangere, delere, vincere potuiſſent, ſi voluiſſent. Neque enim quicquam impedimento fuit, præter illorum voluntatem. Qua una re virtutis inuſitatæ laudem fœde, turpiterque commacularunt. Eoque nomine probra nunc, & maledicta in homines conjiciuntur: ſeraque ætas poſterorum, quæ incorrupte ac ſancte judicabit, proſcindet, ac reprehendet. Nunc noſtræ res, illorum vitio ac peccato: iniqua etiam cum barbaris contentione, eo venere, ut nulla ſpes ſalutis eſſe videatur. Cernite, quæ circum ſunt, omnia diruta ac disjecta; ſi quis tamen cernere ſine lacrimis illa poteſt. Cernite propugnacula, caſtella, mœnia, templa, domorum tecta, ſepta, vias: quicquid denique hominibus urbis ſpeciem facere ſolet: cuncta jacent, ſitu obſita, & ſqualore: fracta, deleta, ſparſa omnia. Quid? hæc fortaſſe ferri æquo, iniquo animo potuiſſent, ſi fortuna ſæva, atque aſpera ſalva reliqua, aut aliqua feciſſet: ſi militum, ſi civitatis copiæ in promtu ullæ forent, quibus urbem

1669. *tueremur: ſi ſubſidia, ſi auxilia, ſi opis quippiam in ſpe ulla eſſet: ſi Turca non in dies magis ferocius urgeret. Nunc in horas imminet, impendet, minitatur. Partem quoque urbis cepit, ut videtis. Inhiat portui, ac navalibus; quæ dum occupet, quid tandem eſt, quod nobis ad ſalutem relinquatur? Cum licuit, lætis noſtris, dubiiſve rebus, milites hortari, accendere ad virtutem, inflammare, vobiſcum una, nunquam deſtitimus. Nunc vani hominis, & inſipientis eſſe arbitror, ſtolideque ac temere agentis, deſperata re, præſidio nullo, cum pernicie, atque exitio publicæ, privatæque rei, rogare quemquam, impellere ad certamen, tuendamque urbem illam, quam nulla ratione licet retinere. Cenſeo igitur tradi, dedi pactione illam oportere, quam Achomates poſtpaullo vi, armiſque eripiet. Claſſem cenſeo, militum reliquias ad Reipublicæ tempora ſervandas. Siquis tamen veſtrum, virtute ac ſapientia melior, meliora utique illa putet, mortem fortiter oppetere, occumbere in ruinis ipſis mœnium, & propugnaculorum; eo ipſo in loco, ante ora hoſtium, ubi magni viri, ac fortes cecidere; en cenſeo ipſe quoque, ac probo. Continuo hinc exeo.*

III. Hæc, aliaque talia ubi dixit, ſententiæ ordine rogantur. Cunctique fere, qui, antequam Grimaldus diceret, ſententias dixere, conſilium

Impe-

Imperatoris probant, laudant, in cœlum tollunt. At Grimaldus, ſatius quam dedi, deſeri urbem ratus, cenſuit, fodi cuniculos in muris & propugnaculis, ac pulvere oppleri plures oportere; ſuccendique illos, tecta quoque ædium, quæ forent reliqua, ſtatim atque naves omnes conſcendiſſent. Laudi id fore Imperatori, ſi Achomati non urbem Candiam reliquiſſet, qua potiretur, ſed ſaxorum ſtruem, ac lignorum fruſta. Viſus eſt reliquis, neque e re ſentire, neque ex dignitate, neque ſapienter. Eſſe enim barbaros jam tum in eo, ut cunctis viribus ingruant, atque adoriantur. Quî cuniculi itaque fodiantur, diſtentis univerſis acri impetu, & oppugnatione? Quîque tumultu illo, ac ruina omnium rerum naves inſcendant? Ut autem inſcenderent, num blandiri ſibi? num illa credere, fore exiſtimare, ut venti ac mare ſint in poteſtate? Labi omnia, ac ruere hac ſententia. Aliqui cenſuere, quicumque, cuicuimodi in navibus mortales forent, ad unum omnes e Claſſe in urbem ſtatim venire; recteque fieri, ſi interna fiant nova mœnia, quæ præſidio ac munimento ſint, his amiſſis, quæ tum barbari maxime invaſerant: quibus ſeſe, atque urbem in 1669.

 hie-

1669. hiemem tueantur. Quæ his, qui aderant, minime probata: nonnullis quoque ſtultitiæ plena viſa ſunt: nobis item longo poſt intervallo rem dijudicantibus. Nam, præterquamquod vanum fuit conſilium, Claſſem vacuam relinquere, ut hoſti, cum liberet, liceret opprimere; a quibuſnam murus exſtrueretur, omnibus omnino intentis, ut inde ex eo, quem ædificaſſent, Turca, qui inſtabat, pelleretur? Binis hiſce ſententiis rejectis, quæ fuerat Imperatoris, uti urbs dedatur, cuncti probant: boniſque pactionibus; ſin minus, quæ ferri queant, bello finis imponatur. Tum Maurocenus, *Bene*, inquit, *ac feliciter id eveniat: eſt, quod rurſus a vobis quæram, quod a Patribus minime licet in præſens poſtulare*; continuoque Senatus mandata profert, in quibus ſcriptum erat: *Se poteſtatem Imperatori facere, quicquid magis e Republica exiſtimaret, in tempore ſtatuendi: præcipere etiam, ac monere, uti Claſſi conſuleret, ubi ſummum diſcrimen, atque exitium impenderet. His ne talibus*, inquit, *pacis cum Turca componendæ poteſtas ne eſt Imperatori?* Cuncti affirmant: *Patres ſi adeſſent, minime ſe dubitare, cenſere ac velle, rem cernentes in deteriore ſua, meliore hoſtium fortuna. Ad hoc, urbe tradita, nec pace compoſita, qua*

ſpe,

ſpe, quibus copiis cum Turca certarent? Claſſem denique rem unam eſſe, in qua ſalus, ac dignitas Imperii ſita ſit; quam Senatus velit, eſſe ſalvam & incolumem. Qui ſervet Imperator, quæ claſſiariis nunc, quæ remige, bello abſumtis, ſit parum inſtructa? Cognita Conſilii ſententia, Maurocenus ſe in imam partem ædium abdit; ibique, remotis arbitris, multa ſecum volvere. Porro abnuere deditionem, ſi forte Gallos, ac Romanos, qui ad Diam erant, ad bellum una movere poſſet. Rogat igitur, monet Roſpilioſium; quoque loco res eſſet, litteris certiorem facit. Ait, eo anno ſervari urbem licere, ſiquidem ſocii accedant. Hortari ſe, obſecrare per Deum, per fidem, per religionem: quæque cariora forent. Si minus exoraret, ſuperos homineſque teſtes eſſe velle, per eos ſtetiſſe, quominus urbs ſalva eſſet. Quæ nihil tamen valuere. Quaſique ejus caſu, æque ac barbari, lætaretur, Roſpilioſius convivium ornat: accipit Gallorum Duces, & Mirandulanum. Opipare, polluĉte omnia: cantuque & pueris ſymphoniacis ad multam noctem. Denique IV. Calendas Septembres vela dant. Quæ perfidiæ plena omnia fuere. Ac tenere homines pleraque oportet: ſociorum ſpe, urbem

1669.

non

1669. non retentam, quam retineri utique per pactionem licuerat, cum parte Inſulæ, uti ſupra demonſtratum eſt. Tum Gallos erupiſſe, invito Mauroceno; illaque monente, quæ evenere; hiſque territos & collabefactos, abiiſſe. Inde denique factum, uti urbs, ſuis afflictis, a ſociis deſerta, dederetur.

IV. Sed antea Maurocenus, quæ fierent: quæque ſpes foret; Patres monuerat; Regeſque, & Regulos arrexerat, virtutis fama. Cunctis locis ejus facta fortia celebrari: ſibi quemque optare hominem natum: æquare priſcis viris: ſuis anteferre. In his Clemens, hujus nominis IX. Pontifex Maximus, ultro litteras dat, quibus magnifice dilaudat. Illarum exemplum ejuſmodi eſt:

CLEMENS PAPA IX.

Dilecto Filio, Nobili Viro,

Franciſco Mauroceno.

Dilecte fili, Nobilis Vir, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Præclara decora, & præcellentes animi dotes, quæ nobilitatis tuæ perſonam inſigniter exornant, exiſtimationis, & caritatis præcipuo ſenſu plane complectimur. Nam profecto, quamvis laudum tuarum nullum aliud teſtimonium exſtaret: exſtant autem plura,

ra, & magnopere conſpicua, illud unum abunde ſuf- 1669.
ficeret, quod ſapientiſſimo Veneti Senatus judicio dignus habitus ſis, quem, in graviſſima ſua, & Reipublicæ Chriſtianæ totius cauſſa, muneri tanto præficeret. Cujus ſane cauſſæ cogitatio cum penitus, & omnino curæ, cordique noſtro infixa ſit, cæleſti fidentes auxilio, præſtolamur, ut virtutis præſtantiſſimæ tuæ novum, & inclitum aliquod factum audiamus, quo nominis tui gloria magis ad hæc extendatur; & ingens promeritorum cumulus, non ſolum penes longe digniſſimam Patriam, ſed etiam apud univerſam Chriſtianitatem, & ſummum ipſum Deum, pietati ſingulari tuæ notabiliter accreſcat. Nos certe voluntatis paternæ noſtræ documenta illuſtriora, quæque, pro rerum, ac temporum opportunitatibus uſque tibi ſumus præſtituri, oſtendemus; prout hæc, & alia cuncta planius ex dilecto filio, Nobili Viro, Bailivio Sanctæ Euphemiæ, nepote noſtro, coram intelliges. Interim laboribus piis tuis auram Divinæ Clementiæ propitiam, faventemque precamur; apoſtolicamque benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ

apud Sanctam Mariam Majorem, ſub anulo Piſcatoris: Die xviii. Maji: Pontificatus noſtri anno II.

F. Florentinus.

His litteris acceptis, Maurocenus diu, ut debuit,

1669. buit, lætus fuit: ſe nempe laudari a laudato viro, & optimo Pontifice: reſcripſitque in hanc ſententiam:

CLEMENTI IX. PONT. MAX.

Franciſcus Maurocenus.

Quod ſis Venetis auxilio: quod cæteros hortere, atque incitamento ſis: quod Vincentium, fratris filium, huc miſeris: eſt, quod ego tibi: quod Senatus: quod boni omnes gratias ingentes agant. Pater, Paſtor, ea facis, quæ te mirifice ornant: quæ Pontifices, qui antea fecere, ornarunt, dum fecerunt. Diu retine iſtam animi eximiam benignitatem, quæ laudi ſempiternæ tibi erit. Teque ego hortor, & in re hac, reliquiſque omnibus, ut omnia gubernes, ac moderere prudentia, ac bonitate tua. Ne te auferant aliorum conſilia. Nemo eſt, qui ſapientius tibi ſuadere poſſit te ipſo. Te unum audi: tibi uni obtempera. Tua hæc tempora tuæ dignitatis, D. O. M. voluntate, in hæc tempora triſtiſſima venerunt. Vides, quam fœda rerum facies: quam Veneta Reſpublica, ut cæteri ſalvi, liberique ſint: ut incolumis religio: ut aræ, ac templa, & thenſæ retineantur; miſere tot annos a barbaris vexetur. Tu, qui potes, fac ut juves: Regeſque hortere, ut in tempore adſint. De me, quod laudas: quod ornas judicio tuo hominis ſapientiſſimi, eſt, quod læter: quodque prædicem

dicem

dicem cunctis gentibus egregiam, & excellentem iſtam 1669.
bonitatem tuam. Facis, non pro merito ullo meo, ſed pro tua humanitate, qua homines viciſti: quæ te eo extulit, ut ſupra nihil ſit, præter cæleſtia, ac divina. Quod vero hortare, ut uſque conſtem: ut de me novi, egregiique aliquid audias: incitas currentem. Sic vixi adhuc, ut, præter laudem, quæ ex recto medio, honeſtoque bonis evenit, nihil quæſierim: ad quam exemplo ſuo Pater meus me inſtituit: majores quoque ad unum omnes: & quæ majoribus major eſt Patria, inclita virtutibus, & gloria: cui nihil quicquam placere unquam potuit, præter æquum & bonum: cui parui perpetuo; tibique & illi parebo ſemper, ut officii memor, ac beneficii ſim, gratoque animo erga utrumque.

Quæ veritas expreſſit: pietas quoque, & benivolentia adverſum Pontificem egregium.

V. Igitur Senatus factis plurimis, ac facinoribus Mauroceni, & Principum ſermonibus permotus, communique hominum laudatione, eum Ædis Divi Marci ſupra numerum Procuratorem creari curat: quod Senatus privilegium tulit: ac tum primum vidit Veneta Civitas. Ejus exemplum infra ſcriptum eſt:

VI. *Ea eſt laude Franciſcus Maurocenus, iiſque meritis in Rempublicam, ut jure deceat, illa ornari.*

 Nam

Digitized by Google

1669. *Nam per ipſa initia belli Cretici, quo annos ipſos viginti quinque Veneti vexantur, Dei Optimi Maximi judicio ac voluntate, pene miles ad hoſtes venit: militiæque patiens ibi diu ſeſe multis laboribus exercuit. Cepit deinde ordine Claſſis poteſtates: ſecundum denique ſummum ejus imperium; quod ita geſſit, ut Venetæ Reipublicæ plurimum profuerit: ſibi nihil, præter laudem, quæſierit. Facta prœlia terra ac mari, diu noctuque: duces capti hoſtium, captæque urbes, ac defenſæ: manubiæ: opima ſpolia: victoriæ plurimæ notæ ſunt. Urbs eſt Candia, quam tres ipſos annos cunctis viribus Oriens oppugnat: Franciſcus defendit Imperator. Quæ in re, quæ Achomates, Turcarum Dux, nova invenit, & incredibilia, ut oppugnaret: Maurocenus excogitavit, ut defenderet. Defendit etiamnum virtute ac fortitudine quadam inuſitata, & incognita veteribus. Cujus rei nomine ſuis litteris Clemens, Pontifex Maximus, Regeſque externi, quorum maxime intereſt, urbem ſervari, crebris ſermonibus Maurocenum, multiſque ac magnis laudibus concelebrarunt. Quas ob res Franciſcum Maurocenum, Equitem, privilegio honeſtari: eumque extra ordinem, & numerum, Ædis Divi Marci Procuratorem, Comitiis Majoribus creari, Senatus cenſuit.* Lectuſque his eſt magna conſenſione: idque factum XII. Kal. Octobres.

VII.

Digitized by Google

VII. Sed ad oppugnationem redeamus. Igitur 1669. Maurocenus, ubi ſe a Sociis deſertum videt: neque per ſe diu urbem tueri poſſe: quærit in Conſilio, quonam maxime pacto deditionis mentionem moveat; placuitque principio, per Molinum; quem deinde ut abnuere cognovit, cauſſarique pleraque; in his, nullam paciſcendi, dedendi, aut fœderis faciundi ſibi poteſtatem eſſe: duos poſtremo deligit, quibus ad eam rem utatur: Thomam Alandium, tribunum militum, & Stephanum Scordilium, qui tum fuit ex numero ſcribarum; quos fide quoque potiſſimum norat, & ſolertia antiſtare. Hos cuncta edocet, quæ dici, quæque fieri velit. Illique navicula vecti, celerrime navigant. Veniunt ad oſtium amnis Jophyri: quærunt de Achomate: ſibi cum eo ut colloqui liceat: ſignum pacis dant, vexillo albo. Continuo ab Achomate Achomates præfectus, quem Agam Turcæ appellant, & Panhagites interpres mittitur. Tum noſtri dicere: *Quæ cum Molino cœpta de pace forent, quando is abeſſet, licere perfici per Imperatorem, cui omnino liceat per Senatum. Hunc præterea exiſtimare, facile convenire poſſe, ſiquidem de conditionibus aliquid dematur, quas Achomates, præter æquum &*

1669. *ſas, antea tuliſſet*. Barbari ad Achomatem redeunt: narrant omnia ordine. At ille tum, multa ſuperbe & arroganter: ut genus fere eſt mortalium, qui flatu proſpero fortunæ efferri ſolent: eadem cum reflavit, demitti. De re primum cum ſuis paullulum deliberat: deinde id quod erat, ratus, profectione ſociorum permotum Maurocenum, ac militum paucitate, qui intus forent, de pace nunc primum mentionem facere: ſignis quoque ſuis aliquot, quæ fixa in mœnibus cerneret, reſpondet: *Mitti, quæ cum Molino acta eſſent, oportere: rem poſtilla commutatam. Turcam victorem in muris urgere; propeque abeſſe, ut urbe potiretur; quæ norit Venetus Imperator. Paſſurum ſe fortaſſe, ut pacem impetret, ſiquidem ultro urbem dedat*. His cognitis, Maurocenus ſignum de pace dat: album conlocat in Demetriano. Neque ita poſt multo, de communi ſententia, locus colloquio deligitur, planities e regione propugnaculi; ſtataque hora Scordilius & Alandius eo veniunt: Turcæ item Heibrahimus, Achomates, Panhagites: quibus is quoque additur, qui Achomati Imperatori erat a ſecretis. Noſtri continuo primum dicere: *Venetos hac lege Candia ceſſuros, dum pro oppido oppidum tradatur*. Barba-

bari tum eam orationem irridere, & faſtidioſe 1669.
loqui. Hæc contra ipſi, non petere, ſed poſtulare: *Uti urbs, & Creta Inſula univerſa ſtatim tradatur: quæque in Epiro atque Illyrico Veneti occuparint: ſumtus præterea, quem ad eam diem feciſſent in id belli: utique quotannis numum aureorum millia duodena pendantur: argenteorum trecenta millia, cum Bizantium primum Legatus veniret, Regi dono daret.* Apparebat, nullo modo convenire poſſe: alteris exigua, ac minuta dare: magna alteris, ac plurima adipiſci volentibus. Turcæ minitari, propediem: ſtrages, exitia omnium rerum eſſe in ore. Suas, quæ ſint in præſens: quæque in dies magis auctentur, opes prædicare. Alandius contra, & Scordilius vera pleraque edicere, multa comminiſci, quibus terrerent: illaque potiſſimum oſtentare, ſi vi potiri urbe velit, Veneto vivo Imperatore, multis partibus, multoque tempore eſſe Achomati dimicandum. Quæ caſus quoque deinde adjuvit. Nam, cum Achomates vehementius urgeret; atque in hoc quidem ſitam victoriæ ſpem, putaret, ſi locum his, qui intus erant, quietis nullum relinqueret, Maurocenus cuniculos tres ad aggeres fieri jubet, quos ille exſtruxerat contra murum interiorem. Celerri-

me

1669. me conficiuntur; intentiſque barbaris, ut ex aggeribus murum læderent, ac diſturbarent multis ordinibus tormentorum, ſuccendi imperat; quibus, quod maxime concupierat, evenit. Longe omnia nimirum, ac late disjiciuntur: his conſumtis univerſis, qui in aggeribus; quique in ſtationibus agitabant, quæ propter erant.

VIII. Quibus Achomates plurimum territus eſt: ac tum quidem vera eſſe exiſtimare, Scordilii & Alandii illa, quorum ſupra meminimus. Ad hoc ſi perſeveraret obſtinatius in oppugnatione, verebatur, ne auxiliis deinde, quæ ex Italia venirent, ea extraheretur; ac re mox, aut facto aliquo inopinato urbs ſibi e manibus eriperetur: animumque, his actus, ad pacem leniorem flexit; cum præſertim Rex ferox atrociſſime Lariſſa minitaretur. Suos igitur ad ſe vocat: præcipit, ut in conventu paucis agant; ac, dum Maurocenus urbem tradat, de cæteris remittant. Illique ſtatim faciunt imperata. Una conveniunt: verbiſque aliquot ultro, citroque factis, tandem his legibus convenit, VIII. Id. Septembris.

Ut Venetus intra dies duodecim Candia exiret, eamque Turcæ traderet: ſi dies inciderent, quibus na-

ves

ves conſcendere nequaquam liceret, uti ne exiret; dieſque duodecimus diffinderetur. 1669.

Utique militibus, & oppidanis, ſiquidem mallent, alio migrare, liberum eſſet; ſuaque omnia libere auferre: ſacra item cuncta, profanaque, & paratum militarem univerſum, tormentis exceptis, quæ ante bellum in urbe fuiſſent.

Utique Amphimalia, Grabuſa, Spinalonga: quæque Inſulæ propter, Peninſulæ, Scopuli ſitæ ſunt: Cliſſa quoque, & ager una: quæque in Illyrico, Albania, & Boſnæ finibus Veneti cepiſſent, jure ab his retinerentur.

Utique Legatus ab Senatu mitteretur, qui mitti Conſtantinopolin antea conſueſſet: ubi adveniſſet, captivi commutarentur.

Qui, belli tempore, partem alterutram ſecutus foret, ne quid ei ob eam rem noxæ, fraudi, ignominiæve eſſet.

Uti ne deinceps piratica ab his fieret, quibus poteſtas fuit a Veneto, aut Turca, dum bellum foret.

Utique rata illa omnia eſſent, de quibus alias in pace componenda conveniſſet.

Turca continuo obſides dat, Gagium, Mahumetum, Bebirum Aſlanum, imperio homines præcellentes, & nobilitate. Veneti quoque Fauſtinum Ripam, Johannem Baptiſtam Calbum,

&

1669. & Zachariam Mocenicum. Finiſque is fuit belli Cretici, quod magnis utrinque animis annos fere viginti quinque geſtum eſt: quo tempore opes ingentes ſunt contuſæ Turcarum, & Venetorum: tribus autem poſtremis, quibus Maurocenus bello præfuit, ex barbaris ad centum viginti millia diſperiere: ex noſtris ad millia triginta.

IX. Lætitia deinde in urbe ingens fuit, atque in caſtris barbarorum. Epulæ quæſitæ, inſtructæ menſæ, cantuſque hilares dies plures fuere; additique pueri ſymphoniaci, & mulierculæ, quæ ſaltarent. Multa præterea cum barbaris fecere noſtri amice: illique contra; donaque hoſpitalia Imperatores duo invicem miſere. Quo tempore pluviæ, ac venti, adverſæque anni tempeſtates tenuere; ut in magna decedendi feſtinatione, urbe tamen, Inſulaque minime noſtris decedere licuerit. Sed VI. tandem Calendas Octobres navibus impoſita omnia ſunt. Voces tum miſeræ auditæ ſunt, & ejulatus oppidanorum. Patres, matreſque familias ſeſe affictare, vicemque ſuam multimodis miſerari: domos, agros, heredia, villas relictas a majoribus, aut ære partas, quæ caræ plurimum, cultæque diu fuiſ-

fuiſſent, cogi ſe, fortuna ſæva, Diiſque iratis, *1669.*
barbaro, & alienigenæ relinquere, ut teneat ac fruatur: ipſi careant. Templa, araſque quiſque adire, quæ pater, frater, quæ propinquus alius pecunia ſua ædificaſſet: quæque majores ſancte ac religioſe coluiſſent: thenſis, præcentionibus, donariis ornaſſent: ibique flere multis lacrimis: locaque beatiſſima dicere, ſe tum cernere poſtremo, ac venerari. Quæ tanti tamen minime fuere, ut ibi, quam ſequi Imperatorem, & Venetos abeuntes, eſſe maluerint. Cuncti adeunt Maurocenum, demtis pauciſſimis, quibus manere placuit. Ajunt, qui reliqui ex his ſint, quos fortuna belli minime conſumſit, in ſedes alias, quas Veneti, juſti Domini, daturi ſint, migrare potius velle, quam in patria eſſe cum impio Tyranno. Rogare, obſecrare Maurocenum, ut fidei, ut operæ, quam præſtitiſſent: ut vulnerum ſuorum, ac cicatricum memor, quæ cerneret: ut fuſi ſanguinis a parentibus & propinquis, qui fortiſſime interiiſſent: ut rerum, ac fortunarum, quæ relinquerent: opem contra ipſe quoque præberet; Patribuſque commendaret; tectaque, ac terras aliquas exoraret, quibus, quod reliquum vitæ foret, tueri poſſent.

1669. Imperator tum ſolari: pleraque benigne ab Senatu polliceri: largiri ipſe plurima, pro poteſtate; quæ rata deinde Senatus habuit. Navibus excipit: affatim ſtipendium, & commeatum dat: neque ita poſt multo a Patribus agros, in Iſtris maxime, ac domicilium impetrat.

X. Tradita deinde urbs eſt Achomati: cum ex militibus & oppidanis Maurocenus, ad octo fere millia, navibus extuliſſet. Barbari occupant. Quam ubi vaſtam: deſerta, diruta, ac disjecta omnia vident: vias, domos, mœnia, propugnacula; primum mirari, cur ipſi vi minime potiti forent: deinde tam paucis defendentibus: vocibus & contumelia proſcindere Achomatem cœpere, quod cupidine belli finiundi, de pace properantius egiſſet: quam etiam commodiorem Veneti impetraſſent, re ſua deteriore, quam ſperaſſent, illa omnino ſecundiore. Quæ cuncta Achomates intrepide contemſit: hoc maxime gloriatus, deditæ aut captæ urbis laudem ad ſe unum pertinere; bellique ſævi, ac diuturni, quod ipſe unus compoſuiſſet. Litteraſque, ac nuntios ſtatim Lariſſam miſit, quibus Regem, quemadmodum geſta omnia forent, certiorem fecit. Atque is quidem inde

paullo

paullo ante, Achomati iratus, moverat cum *1669.*
ſuis, id dictitans, ſe Cretam properare, ut bellum conficeret, conſilio ſuo; illique, cujus ductu, & imperitia tot capita diſperiiſſent, caput demeret. In via cum offendiſſent, deditam continuo urbem narrant; tantaque lætitia Regis tum fuiſſe dicitur, ut palam inſilire, & pleraque fatue & incondite canere non dubitarit. Laudat Achomatem magnifice & glorioſe, grandia pollicitus. Virum ſtrenuum, ſummum appellare; quoque Oriens majorem non tulerit: quique Maurocenum, ad eam diem hominem invictum, vicerit: quemque ipſe vinci minime potuiſſe, exiſtimarit. Quæ vana fari, & invicem pugnantia Turca potuit, virtutis, litterarum, omniſque ſapientiæ expers: barbaria una præſtans & libidinibus, quibus id fit, ut homines inſaniant. Venetiis interea timor ingens fuit: mœſtitiaque Nobilitatem, ac plebem invaſerat. Namque rumor primum pleraque miſcuit; tum litteris Mauroceni cognitum eſt, quo loco, Sociorum cauſſa, oppugnatio foret: quaque aſperitate Achomates bellum adminiſtraret. Tum demum cuncti de urbe deſperare; multaque timere belli inſolita: in his, ne barbarus, natura

1669. cupidus atque aſper, Claſſem opprimeret: victoriaque inſolens, propius adventaret. Eaque dum fierent, nuncii de pace, litteræque venere, quibus eſt Civitas recreata. Viſa, ut erat, pax eſt æquiſſima, cum illa pleraque retinerentur; tum arces tres in Creta Inſula, quibus fiebat, ut non omnino amiſſa illa videretur; legeſque ratas Senatus habuit; quæque omnia Maurocenus pepigiſſet: magniſque laudibus in Curia fidem, induſtriam, animi fortitudinem, conſiliaque omnia Mauroceni Patres celebrarunt; datæque ad illum aliæ, aliæque litteræ ſunt, quibus de pace, ac de Republica optime geſta ſunt gratulati. Porro Maurocenus, urbe tradita, cum omni Claſſe Inſula deceſſit; feruntque, eum inde diſcedentem, ſæpius ad urbem os, oculoſque retuliſſe: queſtumque eſſe, flagitio alieno, & improbitate coactum ſe urbem tradere improbis, ac barbaris, quam triennium defendiſſet: quæque, ſi mens ſana hominibus fuiſſet, ſervari potuiſſet: viſumque eſſe flentem, dolentemque manus ad cœlum tendere, ac miſere lamentari: pieque & caſte Diis Immortalibus gratias agere, quod, in ſummo rerum omnium diſcrimine & iniquitate, Rempublicam conſer-

vaſ-

vaſſent. Deinde obtigit adverſa navigatio. Nam 1669.
per autumnum, perque hiemem, quæ conſecuta eſt, mare ſævum fuit, multæque ſævæ, atque adverſæ anni tempeſtates; quarum vi, atque impetu, pleræque naves, militem vehentes, armaque & res Cretenſium, ejectæ: merſæ item aliæ, aliæ fractæ. Denique Maurocenus, diu multumque æquore jactatus, cum parte navium celſiorum, ſinum Amphimalum invectus eſt. Quo loco arcem undique communivit; eique Danielem Maurocenum præfecit. Inviſitque mox arces reliquas; armiſque & milite confirmavit. Inde Zacynthum navigat; ibique ſubſtitit, Senatus juſſu.

XI. Venetiis interea, in triſtitia media amiſſæ urbis, magna tamen lætitia fuit, hominibus reputantibus, virtute Imperatoris, ac ſapientia, Claſſem ac Rempublicam eſſe incolumem; ſcriptaſque eas, ac ſancitas leges pacis, quæ Senatus majeſtatem, decuſque Imperii, vel re læta, maxime decerent: juſſuque ac pietate Dominici Contareni, qui tum Princeps erat, in Ædem D. Antonii, quæ ſplendida Patavii, & auguſta eſt, memoriæ ergo, ac pacis redditæ, donarium eſt illatum. Porro Patres ſedulo agere.

Uti

1669. Uti pax, quam ipſi ratam habuiſſent, Rex quoque probaret, ratamque haberet, operam dant. Eoque Legatum creant, Aloyſium Molinum, cujus ſupra meminimus; qui ſtatim ad Regem eat; datæque rurſus litteræ ad Maurocenum, quibus imperant, Zacyntho ne diſcedat. Idque ipſum mandant Antonio Bernardo, ne Corcyra; quo paullo ante venerat cum ſubſidiis, quæ Candiam ferebat: quæque, prohibitus tempeſtate, minime inferre potuerat. Hoc autem eo conſilio factum eſt, ut ipſi adeſſent, ſi forte barbari, victoria elati, injuria, aut maleficio uſpiam agerent. Continuo deinde per Legatos de pace Reges monent: quæque conditiones forent: quamque e Reipublicæ dignitate: geſta, factaque omnia ſapientia Imperatoris: de auxiliis gratias agunt. Qui multimodis gratulati, ore deinde pleniore Maurocenum laudarunt. Clemens Pontifex diem ſuum hoc anno obiit. V. Idus Decembres. Gravi jamdiu valitudine conflictatus, cum urbem denique amiſſam eſſe, nuntiarent, dolere & queri plurimum cœpit: auctuſque eſt angor, & dolor animi, quo citius quoque interiit, ubi certior factus eſt, id quoque, Vincentii culpa, contigiſſe: quem deinde

inde

inde aditu, congreſſuque ſuo amovit; & Cardinalem cum facere vellet, minime fecit. Vir fuit ſane caſtus, integer, gravis: cui neminem præferas vel ex probis quidem Pontificibus, qui laudantur. Sed Molinus quidem, Venetiis proficiſcens, initio hujus anni, brevi Cydonem primo, Candiam deinde venit; quo loco ab Achomate multa ambitione, magniſque honoribus exceptus eſt; ibique fuit dies plures, libens, quibus cum Achomate ſæpius collocutus eſt; ac pleraque, utroque volente, eorum explicata quæ ad pacem pertinebant; quæque verbis aliquot involuta, atque obſcura eſſe videbantur. Eaque celerius cum perfeciſſet, ex Senatus præcepto, Bizantium properabat. Sed monuit Achomates, e re plurimum fore, ſi prius ipſe ad Regem veniret. Detinuitque Candiæ de induſtria, nec ſatis volentem. Id alio ſpectabat, atque videri volebat. Namque timebat iram Regis, & crimina accuſatorum, de pacis conditionibus; miſeratque occultos homines, qui de animo quærerent, & explorarent. Quæ dum fierent, Candiæ manebat, urbis reficiendæ ſpecie; revera ut de ſalute opperiretur. Porro cum undique afferretur, læta eſſe cuncta; probarique ma-

1669.

1670.

1670. maxime, quæ egiſſet; atque in cœlum ferri; Candia deceſſit; primumque triremibus vectus eſt in Helleſpontum; terra deinde continuo Hadrianopolin venienti, quo Rex antea venerat, miſit hic obviam, qui dona ferrent. Denique urbem ingreſſus, Regem adit: more ſeſe ad pedes projicit; pieque ac ſuppliciter, quaſi Deum, cum ſalutaſſet, ille hominem prehendit; medium complectitur; oſculatur; eumque crebro Imperii ſpem, & columen firmiſſimum eſſe dicere, ut olim pater. Veſte deinde, auro gemmiſque intexta, ſuis manibus ornat, illoque ipſo enſe, quo uti conſueverat. Quæ tamen Achomatem minime inflarunt; princepſque cum eſſet, & haberetur in civitate; comis, facilisque, imis, ſummis perpetuo deinceps fuit. Ac ſic quidem ſe gerendo, nequaquam eſt mirandum, ſi & vita ejus fuit ſecura, & mors acerba. Neque ita poſt multo Conſtantinopolin Molinus venit, quo paullo ante Rex ſponte ſua, & Achomate ſuaſore hominem legarat, qui peculiari cultu Molinum exciperet; illique omnino eumdem honorem ſervaret, atque tribueret, qui antea tribui ſolitus erat; is nimirum, qui Cæſaris Legatis, Regumque, ac Principum maximorum

morum tribui conſueſſet. Convenit deinde Regem Hadrianopoli, a quo ſplendide ac magnifice exceptus eſt; cui, de pace pluribus gratulanti, Rex paucis reſpondit: *Bene ac feliciter omnia fore, ſiquidem pacta ſerventur*. Poſtea captivi commutati, in quibus Sebaſtianus Molinus fuit, qui ſexdecim ante annos potitus hoſtium erat. Multaque Legato petenti fecit comiter, ac benigne. 1670.

XII. Venetias interea, facta poteſtate, Maurocenus rediit. Civitas univerſa tum mirifice lætari; concurſuſque magni hominum fuere ad illius ædes. Lectus Procurator Ædis Divi Marci, uti dictum eſt, ſupra numerum, non ita poſt multo dignitatem iniit. Magna gloria concurrentium undique virilis, ac muliebris ſexus, per vias, ac tecta omnium viſebatur. Ipſe vultu gravi ingreſſus; comis, modicus, modeſtus, probus: quibus rebus multam ſibi partem gloriæ ac laudis quæſivit, maxime apud veteres ac ſanctos viros, ſuperba plurima aliorum, gravia atque indigna Veneto homine, & Imperio exiſtimantes. Sed fortuna tamen mobilitate ſua fauſta hæc, & læta poſt paullo pervertit; virumque talem eo perduxit, ut capite, ac for-

Digitized by Google

1670. tunis periclitaretur; ut facile intelligamus, hominum invidia, ac maleficio ſæpe fieri, ut virtus, & integritas vexetur; nihilque tutum, vel incolume in humanis rebus ſit, aut fuerit. Accuſatus, proſciſſuſque eſt ingenti contumelia, tribus Orationibus, ab Antonio Corrario, Johannis filio, dum Comitia haberentur, quæ Majora appellant; quarum primam privatus habuit: ſecundam & tertiam dum Triumvir Reipublicæ Advocatus eſſet; qui maximus eſt Magiſtratus moribus Venetorum. Qua in re tradenda lapſi facile plerique ſunt. Quæ nos, ut quæque vera comperimus, ordine prodemus. Ac primum quidem Corrarium, probum hominem, atque antiqui officii, Reiquepublicæ ſtudioſum, quo familiariſſime utebatur, ad accuſandum movit Antonius Barbarus, Caroli filius, qui Mauroceno infenſus, judicii illius cauſſa, cujus ſupra meminimus, atque inimicus fuit; quemque decepit, pleraque narrando ac prædicando, quæ multimodis inhoneſta viſa Corrario ſunt, & contra fas. Comitiaque Corrarius delegit; Senatum vitavit, quod Patribus Cretica res univerſa foret notior: partem vero magnam Comitiis ignara. Cunctaque mira quadam ſolertia & cotione

acta

Digitized by Google

acta ab illo ſunt. Cui plurimi quoque ex ſumma Nobilitate plurimum favebant, eorum, quos dolor atque angor ex invidia jamdiu aſpere tetigerat, factaque fortia Mauroceni, ac parta inde gloria. Ad hoc imperium bis delatum, quo uti æque in omnes, ut ſancta foret, ac tecta undique militaris diſciplina, Maurocenus conſuevit. Habita autem prima Oratio eſt XIII. Kalendas Octobres, quam ad Comitia, jamdiu occulte meditatus, Corrarius attulit; quam nonnulli quoque illi ferunt ab alio ſcriptam, Rhetore vehementi atque irato; cui nemo reſpondit. Altera deinde IX. Kalendas; cui Johannes Sagredus, Auguſtini filius. Tertia denique VII. Kalendas; cui Michaël Fuſcarenus, Laurentii filius; qui magna quadam dicendi vi pollens; ſumma quoque gravitate vir; vitæque ac ſapientiæ opinione præſtans: facilis, comis, moderatus; cauſſa tandem vicit. Quæ cuncta Gregorius Letus, aliique perperam memoriæ prodidere. Porro Corrarium, ipſo illo Comitiorum die, quem ſupra diximus, maxima frequentia Nobilitatis, ejuſmodi fere Oratione uſum accepimus. 1670.

Ff 2 XIII.

Digitized by Google

1670. XIII. *Deum Immortalem, igneſque æternos teſtor, me nulla alia cauſſa ad accuſandum veniſſe, niſi Patriæ labenti, deſertæque ut pro virili ſubvenirem: quæque ad illius perniciem atque exitium laterent, nequitia aliena, in lucem proferrentur. Me miſerum, cui ab artibus ac diſciplinis imparato, miſerá atque infelix evenit conditio, ut dicere cogar de Republica, qui honoribus; qui Curia; qui foro jamdiu ceſſi! Sed nemine de illa ſerio cogitante: nemine uno opem, aut auxilii quippiam ferente, in lucem hanc prodire placuit: rudique lingua, & inopi ea afferre: gravia, fœda, indigna illa commemorare, quibus cæteri, quos Majores noſtri in arce hac Imperii, & quadam quaſi Specula Civitatis, collocarunt, excitarentur, ut illi conſulerent, occurrerent, providerent: ut ſuis conſiliis, ſuiſque humeris ruentem ſuſtentarent. Regi Turcarum Mahumeto, hoſti Religionis, Venetorum, Gentiumque fere omnium externarum, tradita eſt, dedita turpiſſime urbs Candia; & nemo unus inventus eſt in Civitate, qui doleat? qui ingemiſcat? conqueratur? qui verbum audeat, aut optet de ea re unum proloqui? Dii boni! Is, qui prodidit, honeſtatur dignitate? quaſique Deus quidam veniens excipitur? In Curia, in foro ſummis laudibus in cœlum uſque tollitur? Franciſcus Maurocenus eam urbem hoſti prodidit, qua ſalus, qua decus conti-*

ti-

Digitized by Google

tinetur Gentis Chriſtianæ: cujus rei dolore vir integer, ac probus, Clemens Pontifex, conſumtus eſt: & nihil de re tanta adhuc quæſitum eſt? tabulæ jacuere? ſopor omnes oppreſſit? Eo itaque factum eſt, ut huc venirem. Civis quoque ipſe ſum: natus in libera Civitate: cujus ipſius, ac majorum meorum plurima beneficia, ac facta ſunt. Peto ipſe, ac ſupplex rogo, ut vos, penes quos ſumma Imperii eſt, de re tanta cogitetis: quæri, anquiri jubeatis. Dabo ego operam hac die, ut pleraque edoceam: ut palam oſtendam, id ſi fiat, ad ſalutem: ſi minus, ad perniciem atque exitium pertinere. 1670.

XIV. *Sed dicet aliquis, qui accuſem poſt annum ab urbe dedita? Id, inquam ego, cæterorum, non mea culpa, contigit. Procul a negotiis jamdiu agitabam: deliteſcebam: lingua inops, ac deſertus: præſtantiorem exſpectabam, qui, Patriæ caritate ductus, Patriæ clariſſimæ opitularetur. Quinam adhuc tandem officium præſtitit? Quinam per Deum acceſſit? Quinam os oſtendit? id inquam oris, quo ſigna aliqua apparerent benivolentiæ? Qui parentis optimæ vulnera foveret, & alligaret? Poſt annum? ajunt. Quid ergo? Privatorum actiones denis annis minime exſtinguuntur: nonnullæ ne tricenis quidem: Reſpublica, orba: cujus commodis & felicitate, felicitas, commoda, & actiones illæ civium*

con-

1670. *continentur, in cauſſa deteriore erit? Quæ Diis immortalibus: quæ patriæ: quæ parentibus: quæ amicis denique, ac neceſſariis officia debentur, naturæ lege, quæ ſempiterna eſt, debentur: quæ viget ſemper: quæque ænigmatibus actionum, & jure commentitio nequaquam tolli poteſt. Ego hac lege utor: hac certo primum: legibus deinde, moribus, & inſtitutis Civitatis. His poſt annum quoque anquiſitio, quæſtio imperatur: acta, tabulæque præcipiuntur; quæ ordine polliceor, ac paucis me planum facturum. Ac poſtulo principio, ubi manifeſto flagitium appareat: ubi delictum: an de eo, qui deliquit, quæri oporteat? Quiſquam ne id audeat inficiari? Satis porro conſtat, urbem Candiam Achomati traditam eſſe. Utinam ne eſſet tradita: nec locus ſceleri, aut turpitudini ullus foret! Jure igitur hinc fit, ut Quæſitor imperetur. Idque Majores noſtri, viri prudentiſſimi, qui Imperium hoc fundarunt, nobiſque reliquere, longiſſime proſpicientes, legibus ſanxerunt: quarum ipſe non unam aliquam, non aliquot afferrem, ſed acervum, ſed cumulum aliarum ſuper alias in medium protruderem, ſi liceret. Cavetur, ſancitur univerſis, ut, qui oppidum, qui arcem, qui urbem, qui navim, fidei ſuæ publice commendatam, ſuo arbitratu, hoſti det, de eo, qui talia iſtac fecerit, acriter, ſevere, ſedulo anquiratur. Legibus ne Maurocenus non*

con-

continetur? Audio jactari, jure ab hoc facta omnia. 1670.
Id ſit jus. Quæſitor tamen inveſtiget: tabulæ conficiantur: quæ laudi denique, non crimini erunt. Atque ego quidem ſic exiſtimo, Maurocenum integrum eſſe hominem, & innocentem: ſanctum quoque, ſiqui volunt. Quid deinde? Sancti legibus & inſtitutis Civitatis, in qua nati ſunt, non tenentur? non illigantur?

XV. *Siquis apud amicum rem depoſuit: aut etiam filiolam, malo aliquo ſuo tempore, ei commendavit: quæro ego, interrogo, quæ præſtare hominem oportet? nonne cuſtodire, tueri vel ſuo ſanguine, ſiquis rapere, eripere, violare velit? Eaque ſi negligat, appellari a quoquam vir bonus unquam ne queat? De illo non quæretur? Optimam illam matrem Lacedæmoniam, proditum eſt, filio ad bellum, pro patria, proficiſcenti clypeum cum daret, carmen ceciniſſe:* Aut cum hoc: aut in hoc. *canit eodem modo item Patria, communis omnium noſtrum, ac lectiſſima parens: urbes & oppida hac lege tradit, commendat, ut is, cui dat, reddat, vel occumbat. Jam nunc pax tibi ſit, ac venia, Catharine Corneli, animo meo cariſſime, flos Venetæ Nobilitatis; qui mori fortiſſime maluiſti, quam ferre ac pati, ut de tradenda Candia homines loquerentur. Te laus: te gloria inclyta ſequetur. De te nunquam Veneta Civitas: nunquam gentes reliquæ ſilebunt. Urbem*

Digitized by Google

1670. *bem tamen tradidit Maurocenus. At quam urbem! quæ ſumma fuit arx maritimi noſtri Imperii: in qua ſpes, opeſque omnes illius nitebantur: nec legibus interrogabitur? non ab eo petetur, quo jure, qua lege, quaque cauſſa id fecerit? Fruſtra, inquiunt, petas, interroges, pace jam compoſita. Quæ eſt hæc pax, uno arbitratu inita Mauroceni? Quæ obeſt Reipublicæ? Quæ Genti Venetæ: quæ Regibus: quæ mortalibus diſplicuit univerſis? Quæ facta, ficta eſt, hominibus abjectiſſimis agentibus, ut olla quædam manibus figulorum? Per Deos atque homines, quo rerum tandem ventum eſt! Horreo, contremiſco totis artubus, quum reputo, quum video, quum cerno, Venetum hominem, Maurocenum, quem Patria ornavit ſummis honoribus, auſum eſſe, manus illi afferre: eripere eam rem, qua ratio conſtat una Imperii: qua Principatus: qua Civitas Domina una eſſe: qua præeſſe hæc, & imperitare: cæteri, cuicuimodi ſint, Navarchi, aut Trierarchi, Præfecti, vel Imperatores, ſubeſſe, obtemperare intelliguntur: auſum invadere Maurocenum arcem hanc, qua Regina illa, celſa, inclita, præclare ſtat: qua nitet cunctis gentibus: qua ſe maxima æquat maximis: qua jura pacis, ac belli tenet: qua leges ſancit: qua oppida, regiones, provincias, regna denique, una ipſa, tradere, dedere, dono quoque, ſi libet, dare poteſt: nec meminiſſe,*

niſſe, neminem præterea Venetorum unum, quantavis 1670.
dignitate, vel honore ornetur, conari, audere illorum quicquam oportere. Eſſe omnino omnes in imperio: parere illi: dicto imperanti audire univerſos debere. Quæ jubeat, juſſa facere: quæque non jubeat, neminem tentare: ingenio interpretari, aut comminiſci. Urbem tamen Maurocenus dedidit: compoſuit ſua voluntate leges pacis: ſumſit ſibi illa, quæ Senatus: quæ Conſilii hujus ſummi ſunt. Nunc ego rogo, poſtulo, an reliqui ſit aliud, ſummæ poteſtatis, quod ille invadat? Cedo mihi majorum monumenta: cedo hiſtorias Rerum Venetarum: cedo nova: cedo antiqua. Ullum ne veſtigium hujus audaciæ ulla unquam apparebit ætate? Populus Romanus, victor omnium Gentium: qui cæteris ad imperandum exemplo eſt: qui Conſules; qui Duces; qui Dictatores ingenti quadam poteſtate eſſe voluit; jura hæc tamen belli & pacis, dedendique urbium ſibi reſervavit: uni horum nemini patere voluit. Quiſquam ne igitur ex his, qui adſunt, aut ſedent, eſt, qui putet, injuria Corrarium nunc dicere, aut facere, quum contendit, vocari in jus Maurocenum oportere: quæri de hoc acriter: interrogari, cur illa violarit? cur regio more egerit? Atque hæc quidem legibus imperantur. Conſtat quoque, ſervari moribus & inſtitutis.

1670. XVI. *Bellum geſtum eſt cum Bajaſeto, Turcarum Regè: ſane grave ac magnum. Quis ignorat? Antonius Grimanus, Ædis D. Marci Procurator, vir ſtrenuus, nobilitate præſtans, hoſpitiis, clientelis; rei male geſtæ in ſuſpicionem venit: nonne in jus continuo vocatus? nonne ſæve, ſevere, ut oportuit, quæſitum de illo eſt? nonne deinde ademta homini dignitas, pulſuſque miſere in exſilium? Diis jure iratis, Eubæa amiſſa eſt: potitus eſt Turca; eique laboranti, atque in extremum, quo diſperiit, diſcrimen perducta, Nicolaus Canalis, Imperator, minime opem tulit: nonne accuſatus de ea re, deinde damnatus, ſolum vertit? Annis quoque ſuperioribus Hieronymus Lauredanus, Johannes Contarenus, quod Tenedum barbaris tradidiſſent, accuſati, nonne damnati poſt paullo ſunt? nonne pulſi uterque nobilitate, qua gens plurimum antiſtat: Patria extorres, opum alienarum indigentes, vitam trahunt? Alia prætereo exempla innumerabilia veteris, recentiſque memoriæ Venetæ Civitatis. Quæro nunc, cur Maurocenum vocari nolint? Per Deum quid hoc eſt? Noallius, ab Rege Galliæ miſſus auxilio: quod deſeruerit: non aditu modo, congreſſuque Regis prohibitus eſt, ſed cauſſam quoque dicere eſt coactus: ſed facto illo turpi, conſtat, inviſum eſſe Galliæ univerſæ, & inteſtabilem. Maurocenus, qui urbem tradidit,* in-

injuſſu Patrum, nullam cogitur ejus rei rationem redde- 1670.
re? nullam cauſſam dicere? Externus Rex de re externa ſumit a ſuis pœnam: Veneti in Maurocenum de re ſua nullam? Nullam autem? imo vero honoribus extraordinariis ornant: laudum cumulum, quaſi quamdam ſarcinam, in humeros imponunt: quam ne elephas quidem ferat. Cæſarem ego, hominem peſtiferum; qui civibus ſuis libertatem eripuit; qui Populi Romani poteſtatem occupavit: cujus in ore carmen illud venenatum perpetuo fuit: Si violandum eſt jus: regnandi cauſſa, violandum eſt: *mirifice lætor, Romæ potius natum eſſe: cæſumque, tætra, inculta, fœda, ac formidoloſa loca illa habere, quæ falſo mortalibus inculcari, exiſtimabat. Opto, volo ego, peſtem illam hominum terra nulla gigni, aut ali: ſin minus, ævo ſempiterno, Deorum beneficio, procul Veneta Civitate abeſſe. Sed facto tamen Cretico, radicula mihi videtur, quaſi ſeri, illius labis. Quæ vos ego hortor, ut diligentiſſime attendatis. Dicet aliquis fortaſſe, urbem deditam, quæ diu magna vi, ac fortitudine inuſitata defenſa ſit; ſed quæ tamen tandem defendi amplius non poſſet: pacem inde enatam: ejuſque componendæ jus, poteſtatemque fuiſſe. Quæ cuncta quis inficietur, apprime utilia Civitati eſſe? Poſtremo Patribus rata, ac probata omnia. Ita ne vero? Candia ta-*

Gg 2 *men*

1670. *men ſuperioribus annis in majori quodam diſcrimine fuit : nec tamen dedita a Veneto Imperatore . Quid ? nonne cuncti ſciant , Lazaro Mocenico , ſummam rci tenente , id uſuveniſſe ? Barbaros cepiſſe ſummos muros ? Pleraque in his fixiſſe ſigna ? rogatum Mocenicum , obſecratum , uti dederet , potius quam omnes diſperirent : fortiſſime reſpondiſſe : Lazaro imperante , urbem non dedi : vel ſuo , atque univerſorum interitu . Quo facto , omnes magna vi niſi ſunt , & urbs ſervata . Præclare . Digna hæc viro magno ſunt : digna Lazaro , & Mocenica gente . Virtus nimirum virtute accendi ſolet : eaque in partibus dilabi , ubi ſumma dilabatur . Sed quæ tum ſervata eſt per virtutem : amiſſa deinde eſt per ignaviam , aut turpitudinem . Nemo id negare poteſt . Illa enim tum tradita eſt , cum nihil quicquam , aut pecuniæ , aut commeatus , aut armorum , aut militum deeſſet : quod facile intelligitur ex tabulariis . Picum deinde cum ſubſidiis jam veniſſe : non longe tum abfuiſſe , cum aliis copiis miſſum , Antonium Bernardum : Gallorum quoque auxilia propediem fuiſſe ventura , omnes norunt .*

XVII. *Sed cum plurima ſunt , quæ ego vehementer miror , cur facta ſint : tum cauſſam maxime , quæ moverit Imperatorem , ut inepta , ut falſa illa ad Senatum ſcriberet :* Barbari cunctis viribus poſtremo

im-

Digitized by Google

impetum in urbem fecere : ſed ſumma vi tamen a noſtris pulſi ſunt. *Fortiter : audacter. Quid tum deinde? Quid? Ubi hæc acta ſunt virtute ingenti : ubi patrata res iſtiuſmodi admiranda : urbs poſtpaullo tradita eſt. Portenta per Deos hæc mihi videntur. Huccine illa recidere magnifica & glorioſa Mauroceni? mortem millies oppetiturum, priuſquam urbem dederet: quæque, uti carmen quoddam ſalutare, cani, recitari in foro, in triviis conſuevere? Meditata, ſcripta, inſtructa, facta hæc omnia, uti ſummi honores, & inuſitati exprimerentur. Quis hæc audeat inficiari? Iis enim impetratis, continuo, Dii boni! eadem die, nuntiatur: urbem eſſe deditam. Quis pati hæc poteſt? Ajo ego, Patribus fucum factum: ajo, deceptos eſſe: in fraudem inductos : ajo, Patriam deſertam a Mauroceno, optime de illo meritam. Sæva, fœda cupido tetigit, uti domi tutus, divitiis ingentibus frueretur, bello partis, delatiſque maximis dignitatibus. Ubi fas? ubi fides? ubi religio? ubi denique pietas, & caritas illa, qua Cives boni malunt diſperire, quam Reipublicæ deeſſe, aut non grati videri? Inveniri ne quiſquam in Civitate, in Summo hoc Conſilio poteſt, ita ſui, ita Patriæ optimæ immemor, qui porro neget, de his tot, tantiſque rebus quæri oportere? qui nolit vocari in jus, dicere cauſſam Maurocenum? At contendo*

ego,

1670.

1670. *ego, peto Civis a Civibus, flagito, uti rationes rerum publicarum reddantur: uti militum, uti armorum, uti navium, uti urbis Candiæ deditæ. Queri, dolere nemo poteſt, peti injuria, quod jure imperetur: quod legibus: quod moribus, & inſtitutis. At pax eſt compoſita; facta poteſtate. Utrum ordine, an extra? nunquam adhuc facta eſt ordine. Nunquam antea Veneto ulli Imperatori ordine licuit, pacem inire, niſi prius conſultis Patribus: ne Molino quidem, de pace miſſo. Extra igitur. Senatus mandatum proferatur: recitetur, quo id appareat. Hoc affertur, in quo ita ſcriptum eſt:* Patres poteſtatem Mauroceno facere ſtatuendi pro tempore, quod duceret e Republica: monereque etiam, atque etiam, ut, ubi inſtent extrema, utique proſpiciat Claſſi, in qua ſalus Imperii periclitetur.

His fretus Maurocenus Turcæ Candiam tradidit: pacem compoſuit. Sed nego ipſe, ac pernego, his talibus dedendæ urbis, aut pacis ineundæ ullam factam poteſtatem. Hæc ordine in omnibus mandatis deſcribi, collocari ſolent: hæc tradi ordine ſingulis Imperatoribus: quorum tamen nemo unus adhuc inventus eſt, qui urbes dedere, his nixus, aut paces componere auſus ſit. Patres, ubi volunt non ordine, verba gravia, perſpicua, ſolemnia in promtu habent, quibus utantur:

qui-

quibus plane imperent, urbes dedi: fœdus quoque, aut 1670.
pacem cum hoſtibus fieri. Nihil ingeniolo opus eſt, nihil interpretatiuncula acutiore. Verum ne eſt igitur, rerum mancupia privatarum, parva heredia, caſulas, prædiola minime ab alio ad alium transferri poſſe, niſi juſto domino, qui transfert, palam dicente, edicente, juſto carmine, nulliſque ambagibus, ſe velle, quidem, prædicante: Reges ac Reſpublicas miſera hac eſſe conditione, ut, cum vel hiſcant, ſua quæ teneant, dimittere intelligantur: aut hoc etiam, reliquis jus facere, ac poteſtatem dandi, tradendi, abalienandi? Nullo modo hoc ferri poteſt.

XVIII. *Sed rogo ego, vehementer poſtulo, uti de Molino diligenter, ſedulo expendatis. Miſſum hunc eſſe ab Senatu, ut de pace agat: miſſum nominatim. Quid deinde? auſus ne Legatus eſt: Legatus de pace, inquam: pacem componere? urbem dedere? minime vero gentium. Si id ſibi faciendum putaſſet, Patres utique conſuluiſſet: quod cuncta ordine. Ergo Legato, cui de pace poteſtas ſit, pacem ſancire nequaquam licuit: Mauroceno, cui non ſit, licet? At ajunt, Molino deinde ademtam illam eſſe: propterea non ſanxiſſe. Recte igitur, contendo, atque ordine factum a Molino. Jure boni omnes de illo bona omnia dicunt: jure ac bono laudatur, quod, poſt id factum, nihil*

ſibi

1670. *ſibi de pace ſumſerit. Porro ante hoc factum, ſi feciſſet, utique omnia, Patribus auctoribus, conſulto Senatu, facturum fuiſſe, omnes profitentur. At de Mauroceno, quid potentes homines & gratioſi afferant, qui, nulla tradita de pace poteſtate, ſuo arbitratu tamen, & more quodam regio, pacem ſanxit? Ajunt, leges pacis apprime eſſe utiles Civitati. Quid ſi negem? ſed eſto. Id ſit apprime, quod volunt. Quid tum? Qui ſibi ſumſit, quod Senatus fuit: qui minuit majeſtatem: non tenebitur legibus majeſtatis? Quiſquam ne eſt, ita juris immemor, æquique & boni: Patriæ hujus optimæ, quæ legibus hiſce ſtat: qui contendat, non teneri? At eſt Civis optimus Maurocenus: Patriæ ſtudioſus: ſummus Imperator, excellenti, eximia, divina quadam virtute. Quid tum? majeſtas eſt condonanda? Dandum ne hoc Mauroceno, quod belli Mars ſit, ut illi inſultet? ut legibus Imperii illudat? Laus eſt Civis in pietate ſita: Imperatoris, ut illi pareat. Ubi hinc diſceſſeris, ut eo irrumpas: fruſtra miſericordiam, ac veniam implores. Manlius pater, cum bello Latino Conſul eſſet, filium ſecuri percuti juſſit: quod contra imperium in hoſtem pugnaſſet. Atque is quidem hoſtem, a quo fuerat provocatus, occidit. Filio ille tamen adimi vitam maluit, quam interire majeſtatem. Præclare: fortiter. Digna hæc ſunt Romano*

Con-

Conſule : digna Manlio , viro claro . Noſtra memoria , in noſtra Civitate , nonne Octavianus Bonus : nonne Vincentius Guſſonus , Cives optimi , Patriæque ſtudioſiſſimi , cauſſam dixere , quod , de pace miſſi , mandati fines exceſſiſſe , dicerentur ? Cur non Maurocenus , inquam ego , qui nullum habuit ? Atque ego quidem ſic opinor , qui Rempublicam ſolus conetur adminiſtrare , etſi Civis ſit optimus : etſi ſummo conſilio : utiliter quoque omnia adminiſtret : eum hominem tamen injuria facere . Nam cæteros contemnit : ſibique ſumit , quod plurimorum eſt : in quo ipſo majeſtas ineſt , quam divinæ , humanæque leges tuentur . Qua in re videant , qui ſapientiſſimi ſibi eſſe videntur , recte ne , an ſecus hæc afferam : an ſit hæc ipſa diſciplina tradita a majoribus : an Civitas hæc una jamdiu conſtet ? Quam collabefacere Maurocenus cum tentarit , cur non pœnas luat ? 1670.

At Patribus probata omnia . Rata , inquam ego , probata Patribus , deceptis tamen , circumventis , litteris Imperatoris in fraudem inductis . Ergo privato homini ſi dolus ſit , jus ſubvenit : Reipublicæ ſi ſiat , non ſubvenietur ? Quæ ego , Patriæ ut pro virili conſulerem , attuli ; voſque hortor , ut una conſulatis . Vos rogo , inquam , qui domos , villas , ſigna , tabulas plurimi facitis . Si iſta , cujuſcumque modi ſint , retinere

1670. *vultis, expergiſcimini. Leges, mores, inſtituta, libertas item in dubio eſt. Jubete veſtris Imperatoribus, ut diſcant legibus parere: ut non ſuo arbitratu bella, aut paces agant, ſed Senatus voluntate. Jubete, Maurocenum, quod, regio more, urbem tradiderit: pacem compoſuerit: vocari in jus; ſumique de illo pœnam; idque iis ipſis ſuffragiis oſtendetis, quibus accipitis, aut rejicitis, quod rogarunt Sexviri, de danda Civitate homini illi, quem pluribus docuere, eſſe eum optime de Republica meritum.*

XIX. Auditus eſt magno ſilentio; nullusque fuit, qui Orationi diu meditatæ reſpondere ex tempore in rem putarit. Sed, qui conſilio tamen, ac ſapientia anteibant, vultu, nutuque, voce quoque idemtidem Corrarium incuſabant: id maxime indignati, auſum eſſe, criminibus appetere eum Imperatorem, cui bellica fortitudine, juſtitia, animique integritate, nemo unus ad eam diem foret in Civitate par; minimeque reputaſſe, Maurocenum in Comitio reum fieri, & appellari; aureſque homines conviciis præbere, magis Veneto nomini deforme eſſe, quam ipſi. Multitudini tamen grata vehementer illius Oratio fuit. Nempe ignari partem maximam conſiliorum, quibus quæque acta eſſent,

ſent, vera credebant, quæ confidentiſſime Corrarius attulerat. Læti id quoque, in Maurocenum, qui princeps eſſet pace, belloque in Civitate, ſe judices ſedere; eumque cernere ſummiſſum in humilitatem reorum. Porro murmur deinde eſſe; voculæque mox, irarum plenæ; ſtudio partium pleraque moderante. Illa die tamen, quæ voluit, Corrarius tenuit; quæ etiam ars quædam, & calliditas ab eo adhibita plurimum juvere. Priuſquam enim diceret in Conſilio, Sexviri Senatui regundo retulerant de Civitate homini tribuenda bene de illa merito. Sed nondum de ea re initis ſuffragiis ipſe dixit; poſuitque extrema Oratione; de quo ediſſeruiſſet, voluntatem uno tempore indicaturos, iiſdemque ſuffragiis, quibus, quod Sexviri rogaſſent, probarent, vel improbarent. Et in loculum quidem praſinum, quo ſuffragia maxime optavit, plurimi tulere. Deinde XII. Kalendas Octobres, quod poſtridie quidem ejus diei fuit, quo Corrarius illa egit, quæ diximus, actum in Comitio eſt de Triumviro legendo, Reipublicæ Advocato; Patribuſque auctoribus Franciſcus Foſcarus petebat, uti crearetur. Lectus tamen, cunctis fere volentibus, Corrarius eſt. 1670.

Hh 2 Quæ

1670. Quæ res illi animum auxit. Viſumque Patribus tum eſt, qui ſemel atque iterum Civitatis voluntatem cognoviſſent, quæſtionem de his decernere, quæ acta, geſta, adminiſtrata in Creta forent; lectuſque, qui exerceret, Franciſcus Eritius eſt. At Corrarius, quominus ab eo quæreretur, ſtatim interceſſit; id fore exiſtimans, ut res frigeret, ſiquidem a Comitiis ad Senatum quæſtio transferretur. Ferox inde, ac ſævitiæ plenus, nactus poteſtatem, Comitia indicit in diem ipſum IX. Kalendas mane; cum veſperi antea de more. Eoque ipſe venit infeſtus, infenſuſque; ibique Mauroceno uti munus Procuratorium abrogaretur, egit; cujus Oratio ejuſmodi fere fuit:

XX. *Diis Immortalibus, quos animi, ac benivolentiæ erga vos meæ teſtes antea eſſe volui, gratias hac die primum, pro eo ac debeo, & ago, & habeo immortales; quod mihi agenti; opemque illorum, ac veniam imploranti, faciles aſſuerint numine, nutuque ſuo præſentiſſimo: voſque vi ſua, meiſque vocibus, ut Patriæ laboranti auxilium ferretis; erexerint & excitarint. Vobis deinde, qui dignitate hac me ornaſtis; quique a foro, Curia, honoribus jamdiu abhorrentem, ſedem illam, quæ optimo cuique ſemper patuit, tenere vo-*

voluiſtis, qua decus, lux, laus ſumma continetur. Video Deorum: qua mens quoque veſtra ſit, ac voluntas; quoque conſilia, & cogitationes omnium referantur: nempe pro virili ut proſim Civitati; Urbi huic pulcherrima, ampliſſimaque, qua majorum ſtudio, operaque jamdiu ſtat; publicaſque rationes tuear, ac defendam: ut jus, ut fas retineam, legeſque, & mores, & inſtituta illa, qua majores noſtri nobis reliquerunt: injuria denique, ac potentia adverſer, ac reſiſtam. Qua ſedulo faciam, vobis juvantibus, ſi prius tamen officii, ac modeſtia aliquos commoneam. Me ajunt calumniis delectari; maximeque eſſe hominem contumelioſum. Sed me tamen vita mea rationes, ab ineunte atate ſuſcepta, jamdiu crimine liberarunt. Vixi puer in patris diſciplina, hominis, ut noſtis, officii antiqui, ac bonitatis. Vixi adoleſcens in oculis veſtris. Vixi deinde in magiſtratibus. Quo tempore nemo unus calumnias objecit. Ceſſi deinde foro, mea ſponte: ceſſi Curia atque honoribus: diuque volens ac libens delitui. Quis me reprehendit, aut etiam potuit? Nunc repente calumniari, ajunt, atque uti contumelia. Jampridem vera rerum vocabula amiſimus. Siquis, Patria caritate ductus, quempiam accuſet, aut publice reprehendat; calumniari dicunt. Qui bona largitur aliena, liberalis: malarum rerum audacia, fortitudo vocatur. Eo Reſpublica 1670.

blica

1670. *blica in extremo ſita eſt. Sed qui mihi, atque animo meo nullius umquam delicti gratiam feci, haud facile alterius libidini malefacta condonavi: multoſque mortales ea de cauſſa adverſos habeo. Sed aliud tamen accuſare eſt: aliud calumniari. Hoc improbi eſt hominis: quique per nequitiam virtuti invidet: illud probi ac liberi, ſiquidem jure ac legibus nitatur. Idque moribus Civitatis perpetuo licuit: eaque tamdiu libera, ac potens erit, quamdiu Civibus ejus rei locus erit. Quod ſit exemplo urbium maximarum. Nam quis ignorat, urbem Romam tamdiu ſtetiſſe, quamdiu liberi homines fuere; iiſque licuit libere dicere atque agere? Porro oppreſſam unius dominatu cecidiſſe, quod libertas hæc cecidit, de qua dico: libera nimirum accuſatio ac libera reprehenſio? Liberam Civitatem ego opto; Cives quoque, qui probis: qui Patriæ: qui virtutis ſtudioſis ſtudeant; malos contra, qui libere oderint, ac libere inſectentur. Quæ ipſe perpetuo retinebo; voſque magnopere hortor, ut retineatis.*

XXI. *Ac nunc quidem Triumvir Reipublicæ Advocatus, poteſtate hac fretus, ago hoc libere, peto ut Franciſco Mauroceno dignitas Procuratoria abrogetur, quæ ſupra numerum illi tributa eſt. Non lege, non more, non ordine id factum eſt; Patribus quoque, ac vobis deceptis & circumventis. Primum non lege.*

Nam

Nam per Deos atque homines, quis neſcit, legibus ſanciri, uti ne magiſtratus ulli, neu dignitates, Procuratoria quoque, Senatus decreto tribuantur, ſed lectione, ſed ſuffragiis, & his quidem pleriſque omnibus? Nonne decreto Senatus Mauroceno? Factum eſt igitur contra ac legibus eſt ſancitum. Peto igitur jure; peto lege, ut illi dignitas adimatur. Deinde neque more, neque ordine. Ædis enim Divi Marci Procuratores, uti accepimus, initio duplici appellatione legi conſuevere; poſt deinde quadruplici, novo more. Numquid tale factum de Mauroceno? dicam brevi. Dii boni! decreto cuncta, uno veluti faſciculo, perſtringuntur. Ac quaro ego hic quoque, numquando privilegio? numquando ſupra numerum? extra ordinem lecti ulli Ædis Divi Marci Procuratores ſint? Ajo Nicolaum Leonium, & Nicolaum Pontium. Quanam autem ratione lecti? Lege, inquam, ego, more, ordine. Perpetuo lectione, ſuffragiis jure ſancitis, nunquam decreto. Poſtremo Patribus, vobiſque deceptis. Nam III. Idus Sextiles tueri ſe Maurocenus urbem ſcribit; ſeque prius mortem oppetiturum, quam dedat. Hiſque Senatus permotus decernit. VI. deinde Kalendas Septembres dedidit. Hui tam pauculis diebus! ubi nunc fides? ubi occumbit? Dolus Patribus factus eſt. Peto itaque, qua dolo, qua fraude, dignitas delata eſt, a vobis ut adima- 1670.

Digitized by Google

1670. *matur. Miror ego hoc loco vehementer; ac vicem doleo Civitatis. Mauroceno dignitas Equeſtris, Procuratoria quoque ſupra numerum defertur: fratribus etiam duobus extra ordinem Senatus patet, illius cauſſa, qui fefellit tamen: qui Candiam hoſti tradidit. Civibus inclitis, qui Rempublicam egregie juverunt, ejuſmodi ne tributa præmia & ornamenta? Exigua, inquam ego, ac minuta. Nemini horum certe munus Procuratorium ſupra numerum. Quæ non ſunt præclara facta, illuſtria merita Henrici Danduli, qui cum Gallis una Bizantio potitus eſt? quæ non Caroli Zeni? Andreæ Grittii, majorum memoria? quæ non item Aloyſii Mocenici, noſtra hac, qui Candiam fortiſſime defendit? Ac cuncti ſcimus, quibus illi ſint honoribus honeſtati. Unus eſt eximius Maurocenus, cui omnia tribuenda. Tribuantur. Sed videte, quæſo, ne tanta hæc bonitas; ne benignitas hæc tanta in perniciem vertat. Nam quæ hæc nova ratio Reipublicæ regendæ? nonne a vobis magiſtratus hic leguntur? nonne dignitates? nonne munera, quæcumque in Civitate ſunt? Veſtra tribuendi poteſtas eſt: veſtra auctoritas, a majoribus per manus tradita: nullius præterea. Si decretis nunc locus fiat, vobis omnia, quæ veſtra ſunt, adimentur: alio transferentur. Videte itaque per Deos: ſedulo vobiſcum reputate: cavete diligenter: invidete. Facile utique prin-*

ci-

cipio , quod prava conſuetudinis cœpit , deletur : ubi 1670.
radices porro firmas egerit : ubi inoleverit ; fruſtra ,
ut evellas , enitere . Adimite vos jure , quod injuria
datum eſt . Illatum vulnus legibus , moribus , inſtitutis
Civitatis , ſubſidio hoc facile ſanabitis . At dicet ali-
quis , minime damnari indefenſum debere . Vocandum
eſſe : audiendum Maurocenum : tum vero denique ſen-
tentiam ferendam . Dico nihil oportere : nihilque opus
eſſe . Ubi lex palam a quoquam læditur : ubi mos pa-
trius apertiſſime contemnitur : ubi aſtus , ubi dolus fa-
cile apparent : fruſtra is poſtulat , ut ſibi leges proſint ,
quas læſit , ſprevit , circumvenit . At annum jam te-
net dignitatem : ſumtus magni facti . Qui jure adi-
mas ? Probe . Sed qui fundum emit alienum non pro-
ba fide : qui inædificat : juſto deinde domino petente ,
valent ne illi , ut teneat , quod poſſidet ? quod ædifi-
cavit ? quod ſumtus ingentes facti ? minime gentium .
cuncta legibus adimuntur . Jure ac bono id quidem .
Fraus enim , ac fides mala , peſtes Civitatis , minime
tegenda : quæque ſic parta ſunt , quod furta quædam
ſint , & eſſe cenſeantur , ſanctionibus eripiuntur , æter-
na auctoritate . Quæ utilia Civitati : quæ vobis : quæ
his , qui nunc ſunt : qui futuri : quæ Triumvirum de-
cere exiſtimavi : luce hac tanta Nobilitatis , mane , ut
omnes cernerent ac viderent : nullo odio , vocibus nul-

1670. *lius actus, publice ediſſerui. Vos veſtris ſuffragiis, abroganda ne ſit dignitas Mauroceno, decernetis.*

XXII. Poſtquam Corrarius dicendi finem fecit: cæteri verbo, alius alii varie aſſentiebantur. Tum Johannes Sagredus, Eques, hujuſcemodi Orationem habuit:

XXIII. *Majeſtas me loci hujus terret: ſplendor Comitiorum: ora vultuſque, in me converſi totius Nobilitatis. Terret judicii exſpectatio, quo is adducitur in capitis diſcrimen, ac fortunarum, qui annos ipſos viginti ſex ſanguine ſuo, ſuiſque vulneribus Patriam, ac libertatem fortiſſime defendit. Quæ etſi gravia, horribilia, terroriſque plena mihi eſſe videntur: majora tamen illa ſunt, quibus oculi illi, manuſque, & Oratio Triumviri multimodis minitantur; quibus bis egit apud vos, reum nemine defendente; ſevitque ea in animis, quæ voluit. Rogo ego vos, per Deos, per Patriæ caritatem, per ſalutem liberorum, ut aures mihi veſtras, ut mentes, animoſque liberos præbeatis; ut quæ vera, ac certa re ſunt ea probetis; non quæ ficta crimine, & obtrectatione. Franciſcus Maurocenus, Præfectus Claſſium veſtrarum, veſter Imperator; qui probus adhuc, integer, abſtinens; qui gloria circumfluens, in laude apud vos perpetuo fuit; alius nunc quiſpiam, vocibus Corrarii deformatus; quaſique cœno*

obli-

oblitus, fœdus intuentibus, ac miſer eſt; primumque 1670. *hoc loco, privatus, nulla injuria laceſſitus, reum fecit majeſtatis. Triumvir deinde, conſilio repente commutato, id agit, ut unum dumtaxat honorem adimat, ac dignitatem. Quæ per Deum hæc eſt ratio agendi, & accuſandi? Antoni Corrari, te ego interrogo, ſi vera crimina illa eſſe putas, quæ objeciſti ſuperiore Oratione, cur non perſequeris? cur non perſtas in accuſatione? Cur non reum peragis? cur non conficis majeſtatem? Id ſi doces: ſi probas: ſi oſtendis; ad unum omnes tibi favemus. Capite plectetur Maurocenus, qui minuit majeſtatem; ac tum quidem dignitas cum capite una dilabetur. Quamdiu non doces: quamdiu non præſtas, perverſe facis, & calumnioſe. Fac enim, quod nequaquam fiet, ut honos eripiatur; ut Maurocenus dehoneſtetur; quid deinde? ſi qui vir eſt; quique adhuc fuit, eſſe jam appareat; ſi abſolvatur: qui reficias? qui reſtituas, quod fregiſti? Qui threjicia illa nota deleatur? qui macula inuſta, dedecus, dehoneſtamentum? Urge igitur Triumvir majeſtatem, quam pluribus non Triumvir objeciſti. Sed quando egiſti de honore inſolens; quando cupide nimis, & potius quam judicio, odio ac morbo quodam animi flagitaſti, ut abrogaretur: reſpondebo tibi, ut, ſiquam maledicendo, & poſtulando voluptatem cepiſti, eam male audiendo amittas.*

 XXIV.

1670. XXIV. *Diis Immortalibus primum gratias egiſti: deinde his Patribus, quod tibi affuerint; ac dignitate Triumvirali ornarint. Probe, inquam ego, ac religioſe. Tum continuo a pœna, ac ſupplicio ordire: quaſique aram quamdam iis in templo collocaris, pro accepto beneficio, aræ victimam imponis, Maurocenum, militem Chriſtianum, hominem innoxium, Civem inclytum, inaudita atque inuſitata quadam virtute cæteris præcellentem. Nullæ ne peſtes deerant: nulli nocentes homines, ac flagitioſi, in quos jure iram expleres? Maurocenum delegiſti, quo ſævitiam, atque invidiam nobilitares: quoque oſtenderes, improba ſententia, omnibus ſuffragiis Civibus dignitates deferri oportere, qui prius paucis ad mortem projicerentur: quo uno denique maxime dicerere, jus, fas tueri, legeſque, & mores, & inſtituta Civitatis. Itaque de legibus quid ais? Audite, obſecro. Legibus, inquit, ſancitum eſt, ut magiſtratus, ut dignitates omnes: Procuratoriæ quoque, non decreto Patrum, ſed lectione, ſed ſuffragiis hoc loco deferantur. Recte. Quid inde? Maurocenus decreto adeptus eſt: non jure igitur. Adimatur. Sed peto ego primum, num jure dicere tu queas, Maurocenum, qui Candiæ tum erat, cum dignitas eſt tributa: qui non de dignitate, ſed de nobis, ſed de urbe, ſed de morte cogitabat, non feciſſe lege? non feciſſe more? Dicam*

cam

cam plane : leges violaſſe ? non puto , te dicturum . 1670.
Quinam igitur violavit ? Excute : explica intelligentiam tuam : neminem invenies . Patres ſua ſponte decrevere : Publicum hoc , ſummumque Conſilium , cui res , cui homines , cui leges omnes ſubſunt , cum decretum Patrum rejicere poſſet , ſumma conſenſione comprobavit . Eſt ne quiſquam tam inſanus , tam impudens , qui contra hiſcere poſſit ?

Continuo deinde ego poſtulo : de te quæro , num Comitia hæc , num hoc Conſilium , quo Civitas continetur , legibus obrogare , aut derogare ? num abrogare quoque eas queat ? num , inquam ego , ferre privilegium vos ? num Senatus , de re , aut homine ullo ? Nemo unus , ut arbitror , negabit . De Mauroceno Senatus privilegium tulit . Senatus auctoritatem vos ratam habuiſtis . Quis audeat reprehendere ? Jura hæc tibi , Antoni Corrari , nota eſſe , oportet : illi quoque poteſtati , quam beneficio tenes . Leges illæ tuæ tum valent , cum communes res ſunt , & ordinariæ . Cum Senatus contra : cum Comitia hæc , quorum eſt ſummum rerum , legumque arbitrium , facto aliquo extraordinario , contra ſanciunt , aut decernunt , nihil valent . Decrevit autem Senatus : ſanxiſtis vos veſtris ſuffragiis de Mauroceno . Vide , Antoni , vide brevi , de quo homine : qui annos ipſos viginti ſex , ut antea dixi ,

mi-

1670. *militiæ fuit miles, vel Præfectus, vel Imperator: Qui terra, ac mari primus in prima acie pugnavit pugnis omnibus: Qui octies adverſis vulneribus eſt vulneratus: Qui milites pugnare ſub terram docuit; Qui Muſtaphum virum cepit: Qui nocturno illo prælio inclaruit; claſſem vicit hoſtium potentiſſimam; Imperatorem interfecit. Hæc facta magna, illuſtria, admirabilia ſunt. Qui tres ipſos annos Candiam defendit adverſus hoſtem. At quem hoſtem! Qui Aſiam tenet: qui Africam: qui Europam partem magnam: qui bina Imperia maxima, Regna quadraginta duo: urbes, regiones, provincias innumerabiles: qui his viribus obruere, opprimere, delere omnia conatus eſt. His ſe objecit Maurocenus. Et tu eripere huic homini honorem velis? Leges contendere in eo mandando non eſſe ſervatas? Non factum more? non ordine? Hæc ne morem ferunt? ferunt ordinem? Patribus, quorum ſumma prudentia eſt: Vobis quoque, quorum eſt Imperium, ac Poteſtas ſumma, indigna hæc ordine: indigna more viſa ſunt. Mauroceno, minime petenti, ne cogitanti quidem, extra ordinem, detuliſtis. Hunc Ædis D. Marci Procuratorem ſupra numerum, meritorum cauſſa, quod tum primum factum eſt in noſtra Civitate, eſſe voluiſtis. Hic tu vero ais, lectos alios Procuratores ſupra numerum, ſed lege tamen, more, ordine.*

Re-

Recitas Pontium , & Leonium . Sed Pontius pecunia 1670.
dumtaxat lectus eſt , non cauſſa meritorum . Porro Leonius quomodo ? Qui tum erant Procuratores , cum partim morbo jacerent : ruri partim abeſſent ; latum eſt , uti ſupra numerum unus aliquis Procurator legeretur : lectuſque eſt more , aliis petentibus , Leonius . Hæc ne ſunt ſimilia ? Quicquam ne commune Leonio cum Mauroceno? De Leonio unus aliquis : de Mauroceno , unus Maurocenus ut legatur , latum eſt . Vides , quantum interſit . At Patres decepti . Qui , inquam ego , obſecro ? III. Idus Sextiles , inquit , ſe tueri ſcribit . Nonne ergo tuebatur ? VI. deinde Kal. Septembres tradit . Utique . Eo enim res venerat , perfidia Sociorum , ut tueri amplius non liceret . Dedit igitur : primum facta poteſtate : deinde optimis conditionibus : poſtremo uti Claſſi conſuleret . At mortem , ut receperat , non occubuit . Quæ hæc eſt ſævitia , & inhumana crudelitas , ut fidem putes interire : ut putes minime gravem , ac fortem ullum eſſe Imperatorem , niſi pugnans diſpereat ? At ſit pravo exemplo , ſi decreto dignitas paretur . Si exemplo Mauroceni ; utile Civitati , maximeque optabile erit . Sed perdiu Mauroceni ſimiles nulli erunt . Ais , Maurocenum damnari indefenſum oportere . Quæ gens ? quæ natio vel barbara hoc facit , aut unquam fecit ? Qui ſunt hi mores ſævi , truces , truculen-

Digitized by Google

1670. *lenti? ut fabulam hominibus canere videare, cum de te prædicas. Illa vero horribilia ſunt, ac te indigna, homine ſapientiſſimo, quibus putas, honorem ante annum quæſitum; quique quodammodo in mancupio, & poſſeſſione ſit; ita adimi poſſe, quemadmodum prædiolum, dolo objecto. Non eſt terrula, vel agellus hominum exiſtimatio, fama, decus. Hac vita ipſa, quæ ingens quoddam bonum eſt; quæque ſolet eſſe hominibus cariſſima; ſunt utique cariora; iiſque eripiendis gravia judicia, prudentiſſima, cum ſumma æquitate conjuncta, a majoribus noſtris ſunt conſtituta; eaque retinentur. Ais urbem Romam tamdiu ſtetiſſe, quamdiu libertas ſtetit accuſandi; teque optare eodem modo liberam noſtram Civitatem. Libera eſt, Diis bene juvantibus; & tu bis etiam accuſaſti. Sed Romæ tamen liberæ defenſioni locus perpetuo fuit; hiſque laus, qui libere defenderunt. Hic quoque, ut antea, ita eſſe oportet, uti eſt. Quæ ego miror vehementer, te nolle eſſe, aut etiam eſſe tibi ignota. Pleraque tu optas noſtræ huic Venetæ Civitati: ego tibi pleraque; porro in his, tibi ut contingat, ſaltem in ſenectute, ut ſapientiam, veraſque opiniones aſſequare; ſævitiamque iſtam animi, ac diritatem denique dimittas. Quæ ego paucis, atque ex tempore ediſſerui. Nunc rogo, oro, obſecro ego vos, ut memores meritorum, quibus apud*

vos,

vos, Regeſque externos Maurocenus inclaruit, eam 1670.
dignitatem, quam volentes, libenteſque contuliſtis, illi conſervetis.

XXV. Suffragia deinde ineuntur; iiſque diremtis, continuo apparuit, neutram ſententiam, quod parem tuliſſet ſuffragiorum numerum, acceptam eſſe. Sermones tum alii, aliique eſſe; & pleraque dictitari læta, aut triſtia. Sed Corrarium ira primum, tum deinde mœſtitia invadit: reputantem, quæ tenere antea ſibi videbatur, nunc amitti: pluribuſque, quam initio, ruere ac dilabi. Porro Sagredo infenſus erat, quod aſpere, acerbeque in Conſilio ediſſeruiſſe, ac de ſe prædicaſſe, diceret. Poſt igitur biduo Comitia cogit; ibique tertio brevem hujuſcemodi Orationem habuit:

XXVI. *Quæ legibus, quæque moribus ſint comparata, de legendis Procuratoribus Ædis Divi Marci; quamque ſpreta illa fuerint, neglecta, violata, ubi Maurocenus lectus eſt, ſuperiore Oratione pluribus edocui; pluribuſque vos hortatus ſum, ut ne fœdam hanc labem in Civitate hærere pateremini. His ſe Sagredus objecit impudentiſſime; neque eum loci hujus dignitas; nec dignitatis meæ ratio ulla monuit, ut parceret convicio, & contumeliæ. Egone Triumvir ille ſum ve-*

 hemens,

1670. *hemens, ac ſævus, qui militem Chriſtianum, ut ipſe appellat, tamquam victimam in ara, mactare cupio? qui contendo, cunctis ſuffragiis deferri his honores oportere, qui paucis tamen ad mortem projiciuntur? His petulanter, aliiſque, nimia quadam licentia, in me invaſit. Sed homo eſt Sagredus arrogans, & aſper, & lingua maledicentiſſima; quem qui probe norunt, ore ajunt eſſe probo, animo non probo. Uſus eſt declamatiuncula, quam neſcio quis fortaſſe e grege ſophiſtarum, vel legulejorum illi ſcripſit; quæ non Senatorem gravem olet; eumque, qui ſe intelligat in graviſſimo hoc Conſilio, inſpectante, audiente Civitate, verba facere; ſed rabulam de foro; quamque ego credo nepoti alicui domi ceciniſſe; & eſſe ab illo Regem appellatum. Sed re tamen mecum pugnare debuit, non argutiis & ineptiis. Ego ajo, Franciſcum Maurocenum lectum eſſe Ædis Divi Marci Procuratorem ſupra numerum, ſed non lege, non more, non ordine. Ajo, Patribus deceptis. Quæ firmiſſimis rationibus jam oſtendi, ut nihil nunc oporteat, rerum perditarum odium, ac moleſtiam renovare. Quæque attuli, certa ac vera ſunt; neque everti, aut infirmari a quoquam poſſunt. Peto ego igitur Triumvir, Legum cuſtos, ut Mauroceno honos abrogetur; Legibus reddatur.*

XXVII. Quæ ægre, & clamore quodam homi-

minum audita ſunt. Nam ſtatim ac Corrarius loqui cœpit, ſtrepitus ac tumultus in Conſilio fuit; voceſque auditæ irarum, ac minarum plenæ. Tædio nimirum accuſationis; adhoc exitii, quod Viro claro atque innoxio, invidia paucorum, parabatur; acerbitatis quoque & ſuperbæ contumeliæ, quibus, inſania quadam, initio Orationis in Sagredum invectus erat: proloqui omnes, atque obſtrepere cœpere. Quæ eum maxime terruerunt; rogabatque, quaſi pœnitens, qui propius aderant, num quippiam immodeſte, aut minus graviter dix[illegible] & illuc, idipſum poſtulans, reſpectabat; pergebatque porro, magis dictitans, quam dicens; & turba augebatur. Tum ille excandeſcens, magna vi animi, ac voce elatiore, prædicare, vim ſibi fieri; ſeque Triumvirum eſſe: loqui libere ſe velle; quæque cenſeret e Republica. Id cum cernerent, qui propter erant; atque e proximo audiebant; palam monere, ut conviciis abſtineret: de re diceret; dixitque reliqua de ſcripto, quæ brevi dixit, territus ac timens. Sed fremitus in Conſilio, & turba magis cum invaleſceret; reſque, diſſidio partium, in diſcrimine foret, Michaël Fuſcarenus, incredibili quadam gra- 1670.

Digitized by Google

1670. vitate, ac prudentia vir, ſilentium indixit; deinde habuit hujuſcemodi Orationem:

XXVIII. *Nunquam ego vera illa eſſe ex[illegible]ſtimavi, quæ traduntur, pleraque ſæpe oriri, atque exſiſtere in noſtris animis, quæ nulla vi, nulloque imperio, cum primo erumpunt, poſſint cohiberi; vixique diu in hac ſententia; eamdemque alui ad hanc diem, & confirmavi. Sed nunc ſit tamen, ut illa probem, quæ antea rejeci ac reprehendi; veraque eſſe fatear, quæ falſa, aut quidem certe minus certa exiſtimarem. Impetus [illegible] turba hac tanta Civitatis, me cepit, [illegible] potui; & pleraque ex hoc loco diſſeren[illegible] nec me vero veſtrum hoc decus, ac majeſtas; nec ſplendor ejus, qui ante me dixit; nec magnitudo ipſi[illegible] rei, a[illegible] [illegible]; nec [illegible] imbecillitas deterrere potuere, quominus repente, atque ex tempore dicerem, quæ ſentirem. Video, in hoc Conſilio, multis verbis diſputari, quæri, an magno Viro, ſummo Imperatori, dignitas Procuratoria ſit abroganda. Itane vero? De Franciſco Mauroceno, qui ætatem trivit in Republica tuenda, & conſervanda: qui virtute ſua, ac dignitate auxit Reipublicæ dignitatem: quo major nullus in terra Italia natus eſt, hæc quæruntur? Qui nihil a vobis, pro ſuis laboribus, pro ſuis vulneribus, pro morte ipſa, quam ſæpe adiit, ac ſæpe*

pe

pe[illegible]avit, ut [illegible] eſſemus, nihil, inquam, præmii, 1670.
aut publicæ benignitatis adhuc cepit, præter honoris illam ſpeciem, qua homines inertes ſunt etiam honeſtati? Verum ne ergo eſt, homines inventos, qui hæc quærendo, ac diſputando: qui, vobis audientibus, ac diſceptantibus, non tam Mauroceno, quam Venetæ Reipublicæ, quæ prudentiæ, ac juſtitiæ opinione mortalibus univerſis quaſi lucet, facere injuriam auderent? Nam quid putatis? hæc, quæ hoc loco nunc ediſſeruntur, vos dumtaxat tenere unos? hiſce parietibus poſſe contineri? non ad Reges, populoſque externos perventura? Pervenient: iique libere Venetam Rempublicam, vos accuſare, ac reprehendere non dubitabunt, ſi tam gravem Virum, nullis perſcriptis tabulis, judicio tamen dehoneſtetis. Cavete per Deos, abſtinete vos hoc dedecore, qui decus, qui laudem, qui virtutem Civium ſingulorum, pulchre legibus, & præmiorum ſpe perpetuo foviſtis. Sed quando legum quæſtio eſt: reſque eo redit, an ſint illæ non ſervatæ; de his paucis videamus. Quæro itaque, quæ ſint, quæ de Procuratoribus Ædis Divi Marci legibus ſanciantur? Tres ſunt primum legibus creati; tres deinde his additi, qui Ædem curarent. Quid de magiſtratibus? lege ſancitum eſt, quæ lata eſt, poſt noctem illam Cameracenſem, ut ne pecunia, quemadmodum belli illius tempore, hi, illi-

que

1670. *que legerentur, ſed more illo, qui nunc eſt. Hoc jus his ſcriptum eſt, qui ordine leguntur. Peto nunc, ſi quem extra ordinem legi placeat, aut oporteat, quid ſancitur lege? nihil omnino. Res tota ſummi hujus Conſilii eſt: ejus unius arbitrio tranſigitur univerſa. Si voce, ſi etiam acclamatione, ſi vel paucis ſuffragiis legi velit, rata omnia ac firma ſunt. Atque hac quidem ratione lectus eſt Maurocenus: extra ordinem, meritorum innumerabilium, ac virtutis inuſitatæ cauſſa, Patribus auctoribus, dimidio veſtrorum ſuffragiorum: in quo ipſo ſummæ veſtræ poteſtatis vis ſummique Imperii, de quo dico, eluxit. Quis nunc mihi ordinem recitet imperite? quis leges? quis mores? quæ omnia tum denique valent, cum communis res eſt, vulgaris & uſitata? Sed ordinem tamen uſque poſtulat, deprædicat Triumvir. Obſecro igitur; illi ordinem largiamur. Uberius agamus. Demus, quod ille vult, ordinem non retentum, qui ſervari, ac retineri debuiſſet. Quid tum? Quid, Antoni Corrari, putas eſſe faciendum? Id ne, quod verbis tam multis contendiſti, ut ordinis ipſius incommodum pellatur? Mauroceno honos auferatur? Sed vide, obſecro, ne, dum ordini, rei leviſſimæ, mederi vis, plurimæ graviores continuo contingant. Nonne audis fremitum hunc Comitiorum? nonne cernis turbam Civitatis? Honori omnes, ac virtuti*

tuti favent: invidiæ ac malevolentiæ minitantur. Non 1670.
vides deinde, ubi ad Reges, genteſque externas ordinis fabella, ac vocula pervenerit, qui motus: qui ſermones futuri ſint? Dicent, edicent, prædicabunt, non, ordinis cauſſa, honorem abrogatum, ſed flagitii, ſed pacis, ſed urbis non defenſæ. Sic igitur honos Procuratorius, & fama ipſa, atque exiſtimatio, qui non hominum, ſed virtutis honos eſt, uno tempore eripietur. Alat nunc jam Veneta Civitas, ſpe honorum, liberos ſuos: magiſtratibus, dignitatibus obtrudat. Sed ſevere nimis, nimis aſpere agit Triumvir cum Mauroceno. Quaſi ſalus Civium ſita in hoc ſit: quaſi Italiæ quoque & Græciæ fortuna, ſi Procuratoria ornamenta illi auferat, contendit de hac re: pugnat ſecundum in hoc Conſilio. At quid, per Deos, atque homines, intereſt Reipublicæ, ſi uno major, aut uno minor ſit numerus Procuratorum Ædis Divi Marci? qui quidem antea ſæpe fuit: deinceps quoque, ut ego arbitror, eamdiu erit, quamdiu Reſpublica manebit: quam ego cupio, quam volo æternam eſſe, ſi velle hoc licet, & immortalem. Sed, ut ſpero, erit; quod recta, proba, juſta eſt: pietatis ac religionis altrix, earumque artium, quibus Civitates, optime conſtitutæ, præclare ſtant. Quid? Nonne duodecim abhinc fere ſæculis Veneta Civitas orta eſt? nonne perpetuo manſit in vetere

re

Digitized by Google

1670. *re diſciplina? Vide, quæſo, Antoni, morem patrum, majorumque noſtrorum. Vide indolem, atque optimam naturam, quæ nunc quoque eſt, noſtræ Urbis. Ordine pleraque omnia: extra etiam pleraque adminiſtrat. Læta hæc facit, quæ benigne facit: minime pœnitet. Illa quoque retinet; ſiquid forte ſit, quod fieri minime oportuit. Retinet, etſi hirudo ærarii: etſi etiam clepta aliquis aliquando obtineat. Non murmur Civium: non querimonia: non interceſſio: non accuſatio; quod tu facis. Et bonitate hac hominum boni ajunt, noſtram Rempublicam adhuc conſtitiſſe: deinceps item pulcherrime manſuram, ſi bonitas illa maneat. Apage igitur, quæ nunc novo more erumpunt: quæque hanc Venetam lenitatem, traditam a majoribus, collabefaciunt. Neque hoc dico, ut tabulæ pellantur: ut quæſtio, ut anquiſitio, ſi res poſtulet. Imo vero ego poſtulo, flagito, ut retineantur. Id contendo, ne conſuetudine hac, quæ nunc inducitur, in Cives animadvertatur, indicta cauſſa, re non quæſita & cognita. Sed jam videte, quæ rerum converſio ſit. Inſignia Procuratoria adimi Mauroceno, abrogari, Corrarius vult. Decidit per quæſitorem? nihil minus: quæ tamen Antonio Grimano, qui tabulis, & quæſtione amiſit, hac, qua dico, bonitate, reddita ſunt. Redite, quæſo, hoc loco in memoriam viri clariſſimi: illius tempus, ac triſtiſſimam*

mam

mam calamitatem recordamini. Pulſus Civitate, jacuit in exſilio annos aliquot. Quid deinde? nonne miſeriti majores noſtri hominis fortiſſimi inde revocarunt? nonne deinde lectus Sexvir Senatui regundo? nonne ornamenta reddita Procuratoria? nonne poſtremo Princeps quoque creatus? Et Mauroceno, priuſquam tabulæ conficiantur: priuſquam anquiratur: dignitas auferetur? Mirum eſt, quod clamitat de Patribus deceptis. Patres, inquit, decreverunt, quod freti litteris exiſtimarunt, aut defenſurum, aut mortem oppetiturum. Neque ita decreverunt: neque ita Mauroceni litteræ fuere. Ideo Senatus decrevit, quod tres annos Imperator defendit: quod ſuperiore tempore belli Cretici admirabilis, ac prope divina fuit illius opera. Patrum voluntatem Conſilium hoc ratam habuit: ſuffragiis probavit. Fecit merito de Mauroceno Imperatore, quod de pluribus Imperatoribus vix creatis, meritorum ſpe, ſæpe fecit. Porro litteris Maurocenus pollicitus eſt, ſe defenſurum, quod Galli tum in urbe forent, reliqui Socii. His autem dilapſis, qui tueretur viribus exiguis, iiſdemque afflictis, mœnibus disjectis, adverſus barbarorum copias innumerabiles? Maluit igitur, de Conſilii ſententia, bonis pactionibus dedere, quam capi turpiter. De morte vero nihil dicam aſpere: nihil acerbe. Sed homo eſt aſper Corrarius, & immitis. Pri- 1670.

1670. *mum pollicitus non eſt. Sed fac pollicitum eſſe. Quæ hæc eſt crudelitas? quæ inhumanitas, id queri, mortuum non eſſe, quem Senatus, hoc Conſilium, Reſpublica univerſa, Reges, Populique externi maxime latentur, incolumi Republica, ac ſalva, ſalvum eſſe, atque incolumem? Tu ergo unus inventus es in tanta mortalium multitudine, qui querare? Rectius ne Livianus fecit, qui nimia illa ſua fortitudine id commiſit, ut pugna una, paucarum horarum ſpatio, id noſtri amitterent, quod in Italia urbium, aut oppidorum pulcherrime tenebant? Si præfractius defendiſſet: ſi mori maluiſſet, non urbs modo, & Inſula, quæ amiſſa ſunt, ſed Claſſis quoque, & reliqua omnia diſperiiſſent, quæ pacis optimis conditionibus obtinemus. Sed finis ſit tandem aliquis Orationis meæ. Ego vos hortor: vos obſecro, Cives optimi, per fidem, per religionem, per communis Patriæ caritatem, ut certaminum obliti, ac ſimultatum, quæ urbes florentiſſimas in perpetuum perdiderunt, digna vobis, ac Veneto Nomine hac die decernatis. Corrarii ſententia de abroganda dignitate Mauroceno, præterquamquod injuſta eſt, cauſſam quoque inter vos præbet iræ exitiabilis. Superis igitur propitiis rejicite. Quod ego cenſeo: quod rogo, quæſoque.*

XXIX. Poſtquam Fuſcarenus adſedit; Senatores, Senatorii omnes: item reliquorum magna

pars

pars ſententiam illius laudant: virtutem animi, 1670.
ac ſapientiam ad cœlum ferunt. Conſilii decretum fit, ſicut ille cenſuerat. Nihilque præterea Triumvir ex ea die auſus eſt movere. Itaque Eritius continuo, uti Senatus præceperat, habere quæſtionem cœpit; ejuſque capita duo maxime fuiſſe accepimus: alterum quidem de urbe defenſa: alterum autem de pecuniis adminiſtratis: placuitque primum, uti Maurocenus, clari quoque aliquot viri generis patricii, quamdiu quæreretur, in Curia forent, libera cuſtodia. Ac de urbe quidem ſevera, ac diligens anquiſitio fuit. Vocati, accitique omnes, qui de re ferre teſtimonium poſſent. Nihil intentatum relictum eſt: nihil prætermiſſum. Ex quibus omnibus poſtremo facile apparuit, ea facta a Mauroceno, dicta, proviſa, imperata, quæ humano conſilio potuerint; ut mihi videatur, ſi tamen humanæ gentes hoc ferre queant, non homo, ſed Deus quidam in rebus talibus fuiſſe. Quæſitum deinde eſt ordine de pecuniis; brevique cognitum eſt, Scribam Quæſtoris maritimi locis pluribus libros vitiaſſe; pecuniamque publicam depeculatum. Imperatorem, cæteroſque, de quibus ſupra demonſtratum eſt, non modo abſti-

1670. nuiſſe, ſed, quantum licuit viris bello occupatiſſimis, caviſſe, nequis quid depecularetur. Hi igitur cunctis Patrum ſuffragiis abſoluti ſunt: ille damnatus. Eaque veriſſime, rectiſſimeque ſunt dijudicata; cunctiſque Gentibus, ut tum maxime, cum facta ſunt, placuere; ita quoque maxime deinceps oportet; nec quicquam præterea a quoquam acutius diſceptari. Sed nos tamen, ſiqui nunc forte ſunt, aut erunt aliquando homines moroſiores, qui de pace etiam a nobis quærant, qui fari vera, ut perſonam decet, omnino profitemur, ſententia ac ratione docere volumus. Fecit, facta poteſtate, cujus ſupra meminimus; quamque niſi feciſſet, minime Claſſi conſuluiſſet. Quod tamen Patres juſſere. Neque illud verum arbitror, quod nonnulli dicunt, Claſſi eum conſulere potuiſſe, ſi remiges, ſi claſſiarii, ſi turba navalis, ſi milites, qui ſuperſuerant, in naves impoſuiſſet. His enim Claſſis nequaquam ſic inſtructa, ac munita erat, ut tuta omnino foret. Deinde hae ipſa tueri mare haudquaquam poterat, aut oras maritimas, cum claſſis major, ac valentior immineret, & victor Achomates cum copiis innumerabilibus. Quibus omnibus incommodis pace occurrit; quamque

con-

conditionibus apprime utilibus ſancivit; atque 1670.
ex dignitate Reipublicæ. Quæ Patres univerſa antea cognoverunt; nec Civitas poſtea movit.

XXX. Sed eo revertamur. Hunc igitur exitum actiones illæ tres Corrarii acres, ac vehementes habuere, quibus in capitis diſcrimen ac fortunarum Maurocenus adductus eſt. Licet hoc loco malam hominum fidem, ac nequitiam animadvertere. Ajunt virtutem rem unam eſſe, quam ipſi optent, diligant, ament, in oculis ferant; quaque ſi potiri liceat, cætera volentes, libenteſque, ac mirifice aſpernentur. Tum ſi quemquam tenere intelligant, benivolentia & caritate in cœlum laturos; cum re tamen vera peſſime oderint, aut invideant. Nam quis integrior Mauroceno unquam fuit, aut fortior in Civitate, aut magis Venetæ Reipublicæ profuit? Nonnulli tamen inventi ſunt, qui non offícere modo, ſed delere atque exſtinguere opere niterentur. Sed profecto eadem eſt natura omnium Civitatium. Nam Athenis quoque Miltiades caſtus vir, & innocens proditionis eſt accuſatus. Themiſtocles teſtarum ſuffragiis e civitate ejectus. Ariſtides, qui *Juſtus* eſt appellatus, teſtula a Themiſtocle collabefactus, exſilio de-

1670. decem annorum multatus eſt; eademque pœna Cimon oſtraciſmo. Nonne Phocion, qui *Bonus* dictus eſt, Agnonidem: nonne Timoleon Laphyſtium, & Demænetum accuſatores acres invenere? Romæ denique nonne Scipio Petilios? Quod ſummis igitur quibuſque viris, pace belloque claris, ab invidis accidit, & obtrectatoribus; idipſum Mauroceno obtigit a Corrario; qui invidia aliena cum ſplendere voluiſſet; ſuaſque laudes, ſiquas habuit, augere; omnino attrivit.

XXXI. Quæ cæteris documento eſſe oportet, ut ne deterreant; neu deterreantur; quique laudi ac virtuti operam dant, dent omnino; caniculaſque ſinant adlatrare. Sed eo revertamur. Hæc ubi in Gallia audita ſunt, Noallium Rex, ſumma hominem gratia, maximiſque clientelis; quique annum ipſum Regis aditu caruerat, etſi
1671. omnium vocibus damnatum, abſolvit, atque in gratiam reſtituit. Patres interea operam dare, uti quæ pace conſtituta eſſent, omnino ſervarent. Urbes quoque, ac loca, præſidiis idonea, maxime confirmare; Claſſem reficere, ædificare, ornare multimodis; quo facile ad ſubitos belli caſus parati forent. Namque Turca natu-

ra

ra infenſus, infeſtuſque, acrior atque aſperior 1671.
viſus eſt, poſtquam de cæde reſciit, quæ facta eſt ad Rhyzinium. Nempe barbari, vel pace compoſita, id oppidi adorti, truci quodam, aſperoque homine, cui nomen Juſuſo, copias ductanti militum, ad quattuor millia: cæſi partem magnam; fuſi alii, fugatique a noſtris ſunt. Idque Rex pluribus conqueſtus, bellum per iram rurſus imperarat; hoc dictitans: *Pacem Venetos rupiſſe*; cum regii rupiſſent. Quæ tamen Viſſirii opera ſedata ſunt. De finibus quoque pleraque deinde movit. Quæ poſtquam bello materiam præbere videbantur, Baptiſtam Nanium, virum egregium, Equitem, Ædiſque Divi Marci Procuratorem cum ſumma poteſtate Legatum mittunt, qui cum Mamutò, quem paullo ante Rex miſerat, durum hominem, atque aſperum, componat. Iſque magno labore, magnaque prudentia brevi conſtituit. In Patriam cum rediiſſet, multis laudibus eſt honeſtatus: quod illa compoſuiſſet, ex quibus turbæ celeriter naſcituræ erant: quodque ejus pecuniæ, quam in ſumtum legationis Senatus ei decrerat, quod fuit reliqui, retulit in ærarium. Deinceps belli cura poſita eſt; ac ſtatim factum Senatuſconſultum, ut

vi-

1671. viginti dumtaxat naves triremes, quinqueremes duæ, naves ſex celſiores, optime inſtructæ, in promtu uſuque forent, quibus Antonius Bernardus præeſſet: reliquæ omnes in navalia ſubducerentur: utique, quod ſatis videretur copiarum ad tuenda loca, quæ diximus, retineretur, cæteræ dimitterentur. Quæ brevi perficiuntur. Patres deinde ærario mederi conati ſunt, iiſque vulneribus, quæ belli ſumtus inflixerant, & aſſes uſurarii. Longa nempe belli impenſa annorum viginti quinque, quibus bellum ſtetit, ærarii vires ipſa hauſerat: æs continuo alienum obruit. Sumta pecunia a privatis eſt, primum quidem uſuris trientibus: fœnus poſtpaullo factum eſt quincuncibus: mox, ſumtu augeſcente, ſemiſſibus, & ſeptuncibus. Quas uſuras Janus noſter centeſimas appellavit; quod turpe fuit homini doctiſſimo. Nam centeſimæ ſeptenæ, ut de his dicam, unciæ ſunt octoginta quattuor, quod æs pro capite neque Senatus ſolvit, neque ſolvere potuit. Quotannis enim ſi ſolviſſent, quotannis quoque ſortem fere æquaſſent: quo cogitari, dici, aut ſcribi nihil poteſt quicquam putidius. Sed illuc revertamur. Senatus igitur, ut his incommodis obviam iret, viros

tres

tres legit, functos ſummis honoribus: iiſque 1671. mandat, uti brevi in rem inquirant: conſilia conferant. Poſtremo ex illorum ſententia decernit, ut, capiti uſuris, quæ deberentur, adnumeratis, exinde quadrantibus fœnus foret. Iis quoque conſuluit, qui ita pecunias dederant, ut, quamdiu viverent, centeſima cum ſextante penderetur: mortuis, Civitati ſors cederet. Nempe ſtatuit, ut tamdiu pro ſorte, quadrantes ſolverentur, quamdiu ſors ipſa iis ipſis, aut illorum hæredibus redderetur. Porro pro uſuris, quæ ad eam diem deberentur, ſors una eſſet; ejuſque eſſet fœnus ſextante.

XXXII. Senatus deinde ad continentem curam vertit. More majorum Triumviros legit: 1672. illiſque imperat, ut ſedulo de his anquirant, quæ, quamdiu bellum fuit, facta forent: lectique ſunt, Marcus Antonius Juſtinianus, Michaël Fuſcarenus, Hieronymus Cornelius. Huic deinde Carnia provincia delata eſt; itaque in ejus locum ſufficitur Antonius Barbadicus. Illique urbes, atque oppida celerrime obiere: multaque ab his commode ſancita. Pulſæ injuriæ validiorum: fraudes quoque plurimæ averruncatæ, quibus vectigalia intercipiebantur. Deni-

Mm que

1672. que id pecuniæ, quam manceps debuit, aut præs, aut etiam vetus quivis debitor, cum exegiſſent, atque in ærarium retuliſſent, magiſtratu continuo abiere. Interim peſtilentia Corcy-
1673. ræos invaſit. Idque Patribus nuntiatum, timere pleraque coëgit: primum quidem, ne Claſſem labes contingeret; tum latius in Illyricum, atque Hiſtros funderetur; indeque forte in Italiam perveniret. Itaque celeriter Andreæ Valerio, qui copiis maritimis præerat, Claſſis ipſius cuſtodiam commendant. Continuo de Illyrico Petro Civrano idipſum imperant, qui Provinciam obtinebat. In Hiſtros mittunt Bernardum Gradonicum. Sed brevi tamen factum eſt, ſedulitate multaque opera Valerii, ut lues Inſula pelleretur; timorque omnis animis decederet.

1674. XXXIII. Venetiis interea Dominicus Contarenus Princeps moritur. Summa fuit animi virtute vir, magnæque fidei ac benivolentiæ in Rempublicam: quem Civitas quoque diu deſideravit. Neque ita poſt multo Nicolaus Sagredus, Eques atque Ædis Divi Marci Procurator, in ejus locum, cunctis volentibus, lectus eſt: quam dignitatem obitæ legationes multæ ei peperere, ac domi geſti majores magiſtratus, vi-

tæ

tæ ſplendor, juſtitiæ ſtudium, æquique & bo- 1674.
ni, quo plurimum tenebatur: ad quem poſt
paullo, more priſco, Legati ex omnibus Civi-
tatibus gratulatum venere. Bellum deinde con- 1675.
flatum eſt, quo plurimum inter ſe Reges Chri-
ſtiani conflictarunt. Denique de pace mentio fa-
cta eſt; & locus præfinitus, in quo diſceptare-
tur de pacis conditionibus. Is fuit locus No-
viomagus. In magna rerum omnium diſſenſio-
ne, cum alius alia atque alia ſibi poſtularet;
Venetum Senatum pacificatorem cuncti ſumunt.
Iſque libenter operam ſuam pollicetur. Ac ſta-
tim quidem Virum prudentiſſimum, Baptiſtam
Nanium, Equitem, Ædiſque Divi Marci Pro-
curatorem, legunt. Quæ legatio tamen mini-
me eſt obita. Cæſarem enim ac Regem Hiſpa-
niarum pacis ejus, conventuſque pœnituit. Id-
que ut minus appareret, pleraque de Venetis
cauſſantur: in his, mari Adriatico injuriam ſibi
eſſe illatam: priuſque ſibi de ea re ſatisfacien-
dum. Ad hæc de Nanio querelæ additæ. Ut Pa-
tres pacificatores forent, Nanio tamen eam le-
gationem deferri nequaquam oportere; quem
res Venetas ſcribentem noſſent, Gallorum gen-
ti mirifice favere: non ita Auſtriæ. Quæ tamen

Digitized by Google

1675. cauſſæ quæſitæ ſunt minus apte. Nam de Adriatico diluerat apud Cæſarem Franciſcus Michaëlius: Hieronymus Zenus apud Regem: quas etiam acceperant. De Nanio vero ſtulte omnino factum eſt. Nam bis ad Cæſarem Legatus antea miſſus, multimodis ab eo laudatus eſt: integer, probus, juſtitiæ, ac veritatis tenax. Hiſtoriam deinde adgreſſus, legiſque illius memor: *Nequid veri non audeat:* cur de Gallis non vera narraret? de Auſtria Gente non vera? Sed hominum injuria eſt ſempiterna, ut ſe velint laudari adverſum jus: quoſque oderint, non jure vituperari. Quæ væcordia diu antea fuit: diuque, quantum proſpicio, poſtea erit. Interim Nicolaus Sagredus, cujus paullo ante meminimus, diem ſupremum obiit. Continuo in foro, qui eam dignitatem palam peterent, viri quattuor fuere, Venetæ Nobilitatis facile principes: Nanius, de quo ſupra dictum eſt, Johannes Sagredus, Antonius Grimanus, Equites, Ædiſque Divi Marci Procuratores: Aloyſius item Mocenicus. De more ſortitiones ac lectiones fiunt: poſtrema denique XLI. virûm, quæ Sagredo favit. In eo res erat, ut Comitiis Majoribus probaretur, cum repente multitudinis ho-

hominum ingentis, quæ in foro aderat, voces audita Sagredum rejicientis: conviciaque in eum jacta plurima, ac maledicta. Quæ vehementer Comitia permovere. Statim igitur XLI. illi viri rejecti ſunt: lecti alii: hique Aloyſium Contarenum Principem crearunt. Sed profecto iniqua Sagredo fortuna fuit: idque ingenii in eum retinuit, quo uti perpetuo in claros viros conſuevit: nempe ut aſpera, ut ſæva, ut truculenta ſit: iiſque noceat, vel nocere cupiat, qui virtutem: qui jus & fas valere volunt. Qui Maurocenum de dignitate paullo ante defenderat: ipſe poſt paullo de dignitate prope adepta, illa quaſi irata, pulſus eſt, plebis fraude, vel injuria. Hunc deinde Maurocenus ſolari aggreſſus eſt multis verbis: eaque dicere: *Tu quoque, Sagrede, indigna perpeteris*. Cui ille: *At non inopinata. Indigna hæc ipſa & tibi, & ſummis viris pluribus evenere*. Porro in eo plebs odit, quod munus Procuratorium cum iniret, minus in eam fuiſſet liberalis. Non vini, non panis, non pecuniæ denique tantum tributum, quantum optaret. Eo clamitare, voceſque ingentes edere, ne Princeps foret. Quod illa obtinuit: pœnituitque mox injuriæ omnes, cum impetus ille, qui plerun- 1675.

1675. runque in populo eſſe ſolet, tandem deſedit. Plerique in foro, in triviis, in angiportis hominis ornamenta prædicare: Præturam Patavinam, Carnicam Præfecturam, tres Legationes magnas obiiſſe, magnaque Reipublicæ utilitate. Itaque, cum obviam fieret, vultu, voce, manibus quoque dolorem ſignificare. Inde factum eſt, ut, ſumma omnium voluntate, maximi quique magiſtratus ad eum deinceps deferrentur: quodque fuit vitæ reliquum, animo tranquillo, ac ſummo in honore apud omnes fuit: ob id quoque maxime cultus, quod Mauroceno, in magno fortunarum, vitæque diſcrimine, adverſum Triumvirum, facundiæ vi præcellentem, ac plurimum iratum, præſto fuiſſet. Romæ per hoc tempus Clemens X. annos ſex, & octoginta natus, mortuus eſt, cum annos ſex fere Pontificatum obtinuiſſet; quem rectiſſime
1676. quoque adminiſtravit. Neque ita poſt multo Pontifex reunnciatus Benedictus Odeſcalchius; iſque Innocentius XI. eſt appellatus: vir quidem certe priſcis Pontificibus par, pietate, religione, animi conſtantia: quem deinde Romana Civitas plurimi fecit, plurimumque dilexit. His annis Maurocenus domi quietus vixit in Magi-

ſtra-

Digitized by Google

ſtratibus. In Senatum frequens venit; multumque ſua auctoritate Patres movit; nullaque res major acta eſt, de qua non prius ad eum referretur. 1676.

XXXIV. Calamitas interea Patavinis, Veronenſibus, Rhodiginis, imbrium cauſſa, inſignis evenit. Amnis eſt Atheſis, qui ex Brenna oritur, monte Alpium maximo, ipſe non maximus, ut mortalia omnia fere ſunt, origine ſua, ſed qui tamen longo ad mare curſu, amnes alios ſinu recipit; eorumque vi auctus, ſummus amnis eſt. Is igitur imbribus cum creviſſet, ripas magno impetu egreſſus, late campos obruit. Ruſtica res, & pecuaria, quæ iis locis ſatis erat ampla, beneque culta, & fructuoſa, omnis fere deleta eſt. Stramineæ caſæ everſæ omnes: villæ quoque plurimæ: magnaque ruſticorum, qui in agris erant diſpalati, cædes fuit. Quæ poſtquam Patribus nuntiata ſunt, magno dolori utique fuere. Triumviros continuo mitti placuit, qui aggeres dejectos reficiendos curarent; quique inveſtigarent cauſſas, unde calamitas obtigiſſet: ac de his omnibus ad Senatum referrent. Lectique ad id munus Senatores tres ſunt: Aloyſius Grittus, Petrus Emus, Benedictus Ju- 1677.

ſti-

1667. ſtinianus. Illique ſtatim proficiſcuntur. Aggeres reſtituunt: ripas fluminis ad mare uſque ſedulo inſpiciunt. Cunctaque cum expendiſſent, fraus denique apparuit. Nempe alveum anguſtiorem fecerat cupiditas privatorum, qui fundos ordine ad amnem tenebant. Idque accidit per anni tempora aliquot, quibus a ſiccitate aquarum copia minor eſt: alveus etiam anguſtior. Uſi igitur tempore, quod ſoli aqua nudabatur, ſibi ſumſerant; atque in arva converterant. Inde vi aliqua cum fluvius excreviſſet; neque alveolo contineretur; longe ac late cuncta obruere conſuevit. Ac manus quidem locis pluribus deinde acceſſit; ripaſque exſtruxit altiores, quibus aquæ coercerentur. Sed victæ illæ tamen nimia copia, limo item altiore, qui alveo inſederat, facile ceſſere. Hæc ubi Senatus a Triumviris cognovit, ſuadente maxime Mauroceno, tandem decrevit, uti magiſtratus novem Senatorum deinceps foret, qui rem aquariam curaret; caveretque nequid detrimenti ob eam rem Reſpublica caperet.

1678. XXXV. Bellum deinde hoc anno tandem quievit, quod diu fuerat in Europa inter reges Chriſtianos: quodque utrinque magnis viribus, ma-

magniſque animis geſtum eſt. Memoriaque anni jure concelebrata, quo pax denique reddita eſt; ſed quo tamen Turennius cecidit, Gallorum Imperator; quem Maurocenus magni fecit; cæteriſque antetulit Gallis Ducibus; quemque diu doluit, indigno letho, ac miſerabili peremtum. Hac enim indole vel a puero fuit Maurocenus, ut bellicam virtutem maxime adamaret; diceretque, hac una Reges ac Reſpublicas plurimum valere; eaque qui antiſtarent, vel ſi hoſtis, aut Turca eſſet, multis laudibus in cœlum ferret. Interim peſtilentia graſſari late cœpit in Germania: diuque Cæſar, ſibi timens, cum Vindobonam reliquiſſet, huc illucque migravit, ùti tutus foret. Idque Senatus cum animadverteret; ac magnopere timeret, ne labes in Italiam contagione perveniret, dies plures de re anceps quæſivit, quidnam fieri potiſſimum oporteret. Sententiæ graves a pluribus dicuntur. Hortatu denique Mauroceni Tres Viri creati ſunt, qui valetudini præeſſent. Hique fuerunt Nicolaus Cornelius, Bernardus Gradonicus, Andreas Valerius. Iiſque poſt paullo decretæ provinciæ ſunt. Carni Cornelio: Hiſtri Gradonico: Valerio Veronenſes. Eorumque o-

1678.

1679.

1679. pera, ac vigilantia factum eſt, ut libera, atque incolumis Italia ſervaretur.

1680. XXXVI. Per hoc tempus Patribus viſum eſt, arces, quæ in Italia erant, novis quibuſdam operibus, ac munimentis inſtruere: Cremam in his, Piſcherium, Lemniacum, Novos Urceos. Ei rei Bartholomæum Grimaldum præficiunt. Iſque continuo aggreſſus pleraque effecerat; quæ carpere tamen, ac reprehendere non pauci cœpere. Eaque vox, acerbius jactata, Senatum tandem permovit. Re itaque quæſita, ac multum diſputata, poſtremo decernitur, ut eant in rem præſentem Maurocenus, Andreas Valerius, Andreas Cornelius, Ædis Divi Marci Procurator. Illique ſtatim venere. Vident, inſpiciunt, expendunt. Ac probant quidem rationem ædificandi: ſumtum vero improbant; quem graviorem utique fore intellexerunt, quam principio viſus eſſet. Id poſtquam Patres cognovere, Philippum Vernedam arceſſiri jubent, eximium architectum, cujus excellens fuit opera bello Cretico: quique judicio Mauroceni lectus a Senatu antea fuerat, ut Corcyram muniret. Indeque continuo in Italiam venit; juſſuque Patrum oppida ſingula, atque arces adit: quæque

ipſe

ipſe cenſeat, poſtremo exponit. Ac de his quidem dum Senatus deliberat: aliæque ab aliis ſententiæ dicuntur; bellum cum Turca Cæſari evenit. Quæ dum fierent, Carolus Ferdinandus interea, Mantuæ Dux, Cæſari multis de cauſſis iratus, Caſale, quæ arx eſt munitiſſima, Gallorum Regi tradidit: quæ res Hiſpanis, & Cæſari vehementer diſplicuit: Patribus quoque, qui factum id ſtulte, certe ſine cauſſa, exiſtimabant. Eaque Maurocenus attendi diligenter oportere, prædicabat; nequando inde Italiæ, ac Venetæ Reipublicæ pernicies impenderet. Gallis enim Pinarolium jam obtinentibus, Caſale deinde, facile eſſe, ubi libeat, eo irrumpere. Id Carolus apud Senatum pluribus excuſabat: primum ſe legato deceptum: tum feciſſe neceſſitate coactum, ne Regem Galliæ irritaret: neve, ſi recuſaret, eidem occaſionem præberet turbandæ armis Italiæ. Quæ tamen Patres minime probarunt. 1680. 1681.

XXXVII. Ea vero etſi vehementer angebant: magis tamen ſolicitos, atque anxios eos habuere, quæ hoc tempore de peſtilentia nuntiabantur. Germaniam ubi vaſtaſſet, in Italiam denique repente irrupiſſe: Goritiæ graſſari: di- 1682.

1682. ripi quoque Carnos ultra amnem Sontium. Magnopere timere, ne Venetias, atque in urbes Italiæ reliquas funderetur. Continuo igitur Senatus habetur. Sententia hæc fuit Mauroceni, ut ſine mora IVviri crearentur, quibus ea cura committeretur; ſtatim quoque proficiſcentes, munus inirent. Omnium ſuffragiis creati Johannes Juſtinianus, Dominicus Mocenicus, Johannes Baptiſta Gradonicus, Franciſcus Grittius. Ad Sontium Mocenicus & Gradonicus: Grittius ad Tilaventum flumen curare juſſi. Juſtiniano Hiſtri provincia tradita. Ad Veneta item æſtuaria ſtationes diſpoſitæ, quibus Viri Patricii præfuere: ſeptem ſinguli dierum ſpatio. Brevique factum eſt, ut metu libera Italia foret. Id quoniam divina magis ope, quam humana opera contigerat; Senatus, ſupplicatione indicta, dies plures Diis Immortalibus gratias egit.

XXXVIII. Hæc dum fierent, nuntiatum eſt, Turcas adverſus Illyrios arma ſumſiſſe. Quæ res vehementer Patres commovit; quod vererentur, ne Regis animus, facile iraſcentis, hac aut illa arrepta cauſſa, ad bellum denique, injuria quidem, ſed tamen incenderetur. Ac turba

ba quidem ejuſmodi fere fuit. Namque Illyrios 1682.
ferunt, qui agrum colunt Jadertinum, agri illius anguſtiis coactos, a barbaris petiiſſe, ut fundi aliquot ad Zemunicum, quod abeſt Jadera haud longe, ſibi locarentur, ad eos pertinentes: idque cum obtinuiſſent, pactam mercedem perſolviſſe in annos ſingulos. Tranquilleque diu, & quiete inter illos ea res fuit; quam deinde Duracus, & Caſſanus fratres Ragovichii; ſummoque ibi loco nati, multimodis permiſcuerunt, ac perturbarunt. Initio quidem multis, magniſque ſermonibus Duracus; homo ingenii ferocioris, ac Venetis infenſus. Namque dictitabat, Zemunicum antiquo nomine, agrumque illum univerſum ad ſe pertinere; nihilque inde conduci a quoquam, vel locari licuiſſe, ſe invito: Caſſanus deinde, cum Duracus, in Pannoniam profectus, jamdiu abeſſet, opera manuque. Ineunte enim autumno, cum armatis aliquot hominibus, eo invaſit; caſaſque ac mapalia cuncta incendit; ſepeſque evellit, quas ſeverant Illyrii, quibus conductum agrum terminarent. His exciti coloni ad quadringenti, citi eo ferunt; primumque orant, ac multis obſecrant, ut vi abſtineat. Monent de jure ſuo; docent,

æquo

1682. æquo bonoque cum Turca acta, geſtaque omnia eſſe; diſſolutumque æs annis ſingulis; illud ipſum quoque, quo fieret, ut in annum inſequentem ad Kal. Majas obtinere lege ſibi liceret. Cum nihil quicquam exorarent, tum vero denique ad vim confugiunt. Pugna atrox exoritur. Porro Turcarum manus haud exigua ſeſe cum Caſſano junxerat; acriterque illius partes tuebatur. Atque ex his quidem unus ab Illyriis primum interficitur. Mox, turba invaleſcente, reliqui omnes una cum Caſſano. Ex Illyriis quattuor obtruncati, vulnerati ad quindecim. Idque brevi cum latius manaſſet, barbaros, qui circa erant, quorum magnus fuit numerus, vehementer accendit; iraque ac dolore acti; paciſque jura violata ac ſpreta clamitantes, arma univerſi ſumſere. Eaque ad Patres delata moleſtiam ingentem attulere. Senatus habetur; ſententiæque dicuntur. Mauroceni fuit, ut quam celerrime fieri id poſſet, Laurentius Donatus, qui Illyricum adminiſtrabat, moneretur, ſimul ut ferocem populum in officio contineret; ſimul pœnam de his ſumeret, quos auctores cædis eſſe maxime appareret; tum qui ab Rege Boſnæ præfectus foret, quemadmodum res nata eſſet,

eſſet, edoceretur: Johannes quoque Donatus, 1682.
qui Bizantii apud Regem Legatus aderat, certior de rebus omnibus brevi fieret; eaque purgaret. Quæ Senatus imperavit. Ac nos quidem pleraque adhuc attulimus, ex quibus apparet, ita Maurocenum in Senatu conſilio ac ſententia diſceſſiſſe, ut omnes facile ei aſſentirentur. Sed illud præterea intelligi etiam volumus, tantam auctoritatem gravitate illa imperatoria, ac magnitudine rerum geſtarum adeptum eſſe, & juſtitiæ opinione, qua præſtabat, ut cuncti vera illa eſſe exiſtimarent, & meliora, quæ afferret.

AN-

Digitized by Google

ANTONII ARRIGHII

DE VITA ET REBUS GESTIS

FRANCISCI MAUROCENI

PELOPONNESIACI

PRINCIPIS VENETORUM

LIBER IV.

1683. HÆc dum agerentur, Turca interea de Pannonia bellum Cæſari movit, quo eum adegit Emericus Tekelius. Juſſu Regis Mahumeti ei bello Muſtaphus præfuit, cui quoque paullo ante, Achomate mortuo, regii ſigilli cuſtodiam tradiderat. Iſque celerrime Bizantio proficiſcens, magnis viribus Caſſoviam adgreditur, quæ Pannoniæ ſuperioris caput eſt; breviqne urbem cepit: poſt paullo etiam Eperiis, Leventio, Filleto, omnique

que fere ea regione potitus eſt. Quibus inflatus, Tekelii quoque hortatu, primum Javrinum, continuo Vindobonam exercitum duxit, unde Leopoldus Imperator antea profugerat. Is fuit exercitus, præter lixas, & calones, ducentorum millium. Hiſque urbem ſtatim circumvenit: ipſe equo vectus, mœnia ac ſitum contemplatur. Quod primum factum eſt III. Idus Quinctiles. Oppugnat poſt paullo magna vi. Cum formido ingens intus foret; periculumque, ne urbs caperetur: Carolus, Lotharingiæ Dux, qui Cæſaris copiis præerat, auxilio venit. Cum hoſte dimicat: eumque paucarum horarum ſpatio magno prœlio vicit. Atque id belli quidem vehementer Patres commovit: Cæſari ſine cauſſa eſſe illatum. Quam mox autem Venetis quoque item ut illi, ſpecie aliqua quæſita, barbari inferant? Hæc ſedulo reputare, atque alia talia. Deinde finibus timere, cum adhuc in Germania illi forent. Itaque Maurocenum ſtatim Prætorem creant, qui præſit Foro-Julii, eoſque tueatur. Neque ita poſt multo Cæſar de ſocietate Senatum rogat. Idipſum facit Johannes, Poloniæ Rex, cujus fuit egregia opera, cum pulſus eſt Turca Vindobona. Dies plures de ea re quæ- 1683.

1684. ſitum, & diſputatum eſt. Poſtremo bellum decernunt, inita his legibus ſocietate:

Uti idem fœdus, quod ſancitum antea ſit inter Cæſarem & Poloniæ Regem, his ipſis ſit iiſdem legibus cum Venetis.

Uti ſuis quiſque viribus, communi tamen conſilio, bello Mahumetum perſequatur.

Uti necui Sociorum ſeorſum cum hoſte paciſci quicquam liceat.

Uti Cæſar operam det, ut Pannonia utraque hoſtis pellatur: Rex Cameneciam ante alia recuperet: Veneti terreſtribus copiis in Illyrico, in Græcia Claſſe rem gerant.

Uti oppida, urbes, arces, agros, quos quiſque capiat, ea omnia ſibi retineat.

Uti, ſi arces, urbes, oppida, agri quoque, quos ceperint, ad aliquem ex Sociis pertineant, ei deinde reddantur.

Utique, ſi uni alicui e Sociis vis major ab hoſte immineat, tum Socii continuo univerſi univerſis copiis auxilio ſint.

Uti in ſocietatem, & amicitiam cum Reges reliquos Chriſtianos, tum Regem Moſchorum recipere liceat.

Uti fœdus hoc modo ictum in tutela ſit Innocentii XI. Pontificis Maximi.

Uti-

Digitized by Google

Utique apud Pontificem de eo ſervando Cardinales 1684.
tres Romæ jurent: Pius pro Cæſare: Barberinus pro Rege: pro Venetis Ottobonus.

Continuo Senatuſconſultum fit, ut in Græcia, atque Italia delectus haberentur: Claſſis inſtrueretur, in qua naves triremes eſſent duodetriginta: quinqueremes ſex: formæ celſioris ſex & viginti.

II. Aloyſius Contarenus interea, qui Principatum annos novem obtinuerat, diem ſuum obit. Neque ita poſt multo, qui in ejus locum ſufficeretur, magnis animis actum eſt. Lectuſque eſt tandem Marcus Antonius Juſtinianus, vir laude præſtans, famaque juſtitiæ, quam geſtis magiſtratibus, omnique procuratione Reipublicæ ſibi pepererat. Omnium quidem oculos initio ſtatim in ſe converterat Maurocenus. Nemoque unus fuit in Civitate, qui non tacita ſuffragatione, quæ ſumma virtutis, ac benevolentiæ ſignificatio eſt, ad principem dignitatem eum non deſignarit. At fatalem Imperatorem eo bello, quod ſumma contentione in Turcam parabatur, cum eum fore cuncti exiſtimarent, repente voluntates, ac ſtudia mutarunt. Itaque Patribus auctoribus Comitia Majora e veſtigio

 in-

1684. indicuntur; unoque Civitatis conſenſu, eum tertium Imperatorem legunt. Lætitia tum ingens in Urbe fuit; dieſque plures voces auditæ Maurocenum Imperatorem ſalutantium: crepitus quoque, verſiculique Thuſci, & cantiunculæ, dictaque in Turcam lepore hoc urbano hominum per vias, ac forum diſcurrentium; votaque mox de illius incolumitate publice, privatimque Diis Immortalibus nuncupata. Porro Senatus, ut Jus Gentium, more majorum, vel cum hoſte ſervaret, Johanni Capellio, qui erat Decemviris á Secretis; quemque paullo ante Bizantium miſerat, ut Rempublicam procuraret, dum Legatus mitteretur, imperat, datis litteris, ut, amicitia renuntiata, bellum indicat: cauſſaſque adjiciat:

In finibus Illyrici terminandis vi ac dolo pleraque ablata: piratas adjutos: mercatorum Venetorum naves contra fidem captas ac direptas: per vim quoque, aſtuſque & fraudes multiplices; quaque Gentes, Populique omnes reliqui vehementer oderint, ab Legato pecunias extortas; Legatumque ipſum, quod mortalium omnium ſacramento carminibuſque ſit exſecrabile, habitum indignis modis; idque bellum ab Senatu jure indici, quod injuria poſt paullo, Pannonia confecta, Venetis Turca eſſet illaturus. Qui tamen indicere minime

nime

nime eſt auſus: quod jamdiu animadvertiſſet, 1684.
Legati nomen, quod ſanctum apud omnes gentes eſſe conſueſſet, negligi a barbaris, ac violari: fugaque ſtatim ſe Bizantio ſubduxit, ac Venetias rediit. Id ubi exivit, terror ingens repente Mahumetum invaſit. Porro timebat, Venetis adjunctis, ut par Cæſari ac Regi eſſe poſſet. Itaque ſedulo facere: frequens conſilia agitare: terra marique magna vi militem augere: pecuniam, commeatus affatim mittere. Eaque dum fierent, Maurocenus interea, annos ſex & ſexaginta natus, votis nuncupatis, ſumtiſque inſignibus imperii, paludatus, Claſſem conſcendit: id factum eſt IV. Idus Junias; brevique Corcyram pervenit. Ibi continuo exercitum recenſet: Claſſem inviſit, in qua Venetæ triremes tres, quinqueremes quinque, variæ item formæ naves ſex & viginti fuere, præter naves celſiores, quas ſupra diximus, quibus Alexander Molinus extra ordinem præerat; quique paullo ante, juſſu Imperatoris, Ægeum mare invectus erat, ad terrorem hoſtibus faciendum. Præterea Hetruſcæ quattuor: Romanæ quinque: naves triremes item ſeptem Melitenſes. Deinde Conſilium ſuorum habet, in quo brevi ſententiæ

di-

1684. dicuntur: denique decernitur, ut Leucas oppugnetur. Eaque Corcyra ad millia paſſuum ſexaginta abeſt: ſitaque eſt, qua Leucadiam, quæ maris Ionii inſula eſt, fretum interluit, & littora Acarnaniæ, cui quoque ponte conjungitur. Eo igitur Claſſem dirigit; ac ſtatim adoritur terra, marique. Dies aliquot, tormentorum ac balliſtarum multis ordinibus muros diverberat: adhoc ollas plurimas incendiarias in arcem jacit, quibus ædificia pleraque arſere. Quibus omnibus ingens formido his, qui intus erant, injecta eſt. Denique Bichirus, qui urbi præerat, id pactus, ut ſuis omnibus ſine ulla fraude exire liceret: ea quoque efferre, quæ corpore quiſque ſuo maxime poſſet, eam dedit. Quo facto inſula univerſa potitus eſt. Neque ita poſt multo Acarnanes, ex antiqua formula Leucadiis attributi, ad Venetos defecere: eaque omnis regio, quæ inter Ambracium ſinum jacet, & amnem Acheloum. Sed hæc tamen, incredibili quadam celeritate perfecta, vix firma erant, ne vix quidem, niſi Nicopolis, arx maritima, manu valida, ac natura loci, in propinquo ſita, caperetur. Eo itaque Maurocenus Claſſem ſtatim advertit; ac primum quidem dies aliquot tormen-

men-

mentis muros quatit. Sed poſtquam videt, iis 1684.
non multum noceri, cuniculis atque operibus rem agere inſtituit: intro quoque vim ingentem glandium igniferarum jacit. Quibus cultores territi, de deditione cum Imperatore agunt, una hac lege, ut urbe omnibus abire liceat; ſuaque ſingulis efferre. Idque pluribus rogant, atque orant. Cum minime exorarent, alia utuntur, ut, inſtrumento tradito omni militari: præterea captivis Chriſtianis; id triginta ſaltem liceret: reliquis vero, qui mille ſeptingenti numero fuere, libere abeundi poteſtas foret; ſingulisque ſecum ſingula veſtimenta ferre: quod facile impetrarunt. Eoque modo Veneti omni illa regione, quæ ampla eſt, & locuples, potiti ſunt. Porro in arce æneæ balliſtæ ad quinquaginta inventæ ſunt: copia quoque ingens commeatus, cæterarumque rerum, quæ bello utiles ſunt; quibus illi extrahere oppugnationem in hiemem potuiſſent, niſi formido inſana, quæ plurimum in animis mortalium pollere ſolet, eos ad deditionem coëgiſſet. Inde Acarnanes, de quibus paullo ante demonſtratum eſt, adjutum ivit, quorum agri ab hoſtibus crebris populationibus vaſtabantur. Ac primum quidem

Ana-

1684. Anactorium, quod eſt oppidum ſitum in finibus Acarnaniæ, cuſtodum, cultorumque fuga deſertum, capit; ac poſtpaullo a fundamentis evertit. Deinde barbaros aggreſſus, prœliis aliquot fudit. Quibus patratis, dimiſſiſque domum Sociis, Corcyram hiematum conceſſit.

1685. III. Ibique per hiemem naves refecit: delectus quoque remigum habuit, quibus quinqueremes ſupplevit. Quæ dum ſedulo fiunt, accidit, ut Imperator graviſſime a Marco Antonio Barbadico, qui tum Corcyræorum Archiepiſcopus fuit, diſſideret. Cauſſamque hanc fuiſſe ferunt: quod Reſpublica a Mauroceno feliciſſime gereretur, gratias Diis Immortalibus Barbadicus agendas cenſuit. Itaque ſupplicationem in majore æde indicit. Id potiſſimum Maurocenus ad ſe pertinere exiſtimans, Pontifici nuntiat, ſe quoque interfuturum. Convenit de ſcabello, in quo oraret; quod fuit illi poſitum more. Id deinde tamen Pontificem pœnituit; quod diceret, digniore eſſe loco Imperatorem, quam Pontifex foret. Certare igitur, ac contendere, nullo modo ſeſe paſſurum. Maurocenus vehementer mirari, quæ fierent: primum conveniſſe: deinde, quod cæteris Imperatoribus, id quoque more

fieri

fieri ſibi: nihil itaque remittere. Tum Barbadicus, quam horam præfinierat, ad ſupplicationem, eximit; illaque ipſa cum in ædem veniſſet Maurocenus, eximi cognovit. Vehementer ea re perturbatus: quod publicam majeſtatem minui in ſe exiſtimaret; & Græculis otioſis occaſionem præberi Latinorum irridendi; datis ad Senatum litteris, graviſſime conqueritur. Deinde Barbadico imperat, ut Venetias ad cauſſam dicundam continuo eat. Iſque Imperatori dicto audit. Eoque poſtquam venit, huc illuc curſare, & multimodis culpam minuere; ibique deinde dies aliquot moratur. Poſtremo, clam Patribus, omnibuſque imprudentibus, Romam dilabitur. Quo loco benigne ab Innocentio Pontifice exceptus eſt, laudatuſque pluribus. Quem deinde quoque in numerum Cardinalium cooptavit; impetravitque multis ac magnis precibus, ut in gratiam cum Patribus rediret. Sed eo redeàmus. Ver aderat; marique facilis navigatio erat. Itaque Maurocenus Hieronymum Delphinum, qui ſecundum Molinum navium celſiorum Claſſi præerat, cum duodecim navibus in Cretam inſulam mittit, ut milite augeat; commeatu quoque, pecunia, & inſtrumento mili- 1685.

 tari

1685. tari arces inſtruat, quæ ad Venetos pertinerent: Amphimaliam item, Grabuſas, & Spinamlongam. Mandat deinde, hæc ubi celerrime perfecerit, ut inter Rhodum & Cretam in ſtatione ſit; prohibeatque, ne Afræ naves cum Turcarum navibus conjungantur. Neque ita poſt multo, cum intelligeret, hoſtes cum omni claſſe navigare, veritus, ne Delphinus in eos forte incideret, Molino imperat, ut cum ſex navibus eodem trajiciat; unaque ſimul eorum conatibus, ſiqui forte eveniant, reſiſtat. Ipſe deinde, Corcyra proficiſcens, Nicopolin ac Leucadem adit; brevique circumit; quæque opus eſſe cognovit, addit. Hiſque in hunc modum perfectis, frequens conſilia Maurocenus agitabat. Quærere in his ſedulo, quid potiſſimum adgrediatur. Ac Senatus quidem, ejus prudentia fretus, illi de re tota arbitrium permiſerat; ut, uſus tempore, ea optime ſuſciperet, quæ magis e Republica exiſtimaret. Et Creta inſula primum occurrebat; regio beatiſſima, in qua tot annos barbaros diſtinuerat; quæque adhuc retineretur, niſi labes illa obſtitiſſet ſocialis; fortuna quoque bruta, quæ homines in vitæ hoc ſalo dure nimis, aſpereque exercet. Sed pleraque

que

Digitized by Google

que detinuere: magnæ nimirum barbarorum vi- 1685.
res, quibus tum maxime Inſulam obtinebant: grandiora munimenta, loca procul diſſita, gravia itinera: urbs ipſa princeps denique, cui vel poſitæ in ſummo diſcrimine, opem nullo negotio Turca ferre poſſet. Occurrit deinde Peloponneſus, quo fatorum occulta vis quædam plurimum pellebat. Tellus inclita hortabatur, Græca ſapientia, Romano Imperio olim clara: finibus affinis, immunita. Præterea cultores erant, qui barbarorum poteſtatem oſi, multis precibus orabant, ut ad ſe veniret. Hiſque factum eſt, ut hæc magis placeret. Igitur ad Peloponneſum animum intendit; unde ei cognomen poſtea partum eſt. Res poſtulare videtur, ejus ſitum paucis exponere: quæ etiam regiones, atque urbes ſint, quo magis, quæ trademus, magiſque in aperto ſint.

IV. Græciæ peninſula Peloponneſus eſt; eaque maxima: quam Pelopis regis fuiſſe Inſulam; indeque dictam Peloponneſum, veteres tradidere: Apia etiam, & Pelaſgia ab iis appellata. Iſthmo anguſto Achajæ adhæret: feruntque ejus ambitum quingentorum quinquaginta millium paſſuum eſſe. Longa lataque, uti quidam

 pro-

1685. prodiderunt, millia paſſuum centum ſeptuaginta quinque. Eam priſci in partes octo diviſere: his deinde, qui obtinuerunt, placuit in partes quattuor: quarum una Clarentia eſt, quæ Achaja olim proprie dicta: Elis altera, ſeu Meſſenia: tertia Saccania: Tzaconia quarta, ubi Laconia olim, & Arcadia. Clara urbibus quondam fuit: nunc quoque quibuſdam eſt; quarum nomina hæc ſunt prodita: Argos, Corinthus, Corone, Dyme, Elis, Epidaurus Limæra, Leuctrum, Megalopolis, Meſſene, Methone, Patræ, Pylus, Sicyon, Sparta, Nauplia denique, earum caput, quæ nunc ſunt. Igitur Maurocenus, ubi Nicopolin ac Leucadem omni rerum genere undique, uti dictum eſt, munivit; ad inſulas Oenuſas, quæ contra Acritam, Peloponneſi promontorium, ſunt, Claſſem advertit. Ibique ſuos adhibet. Meſſeniæ urbes, atque oppida cernebantur. Quærit igitur, quam potiſſimum initio invadat. Placuit Methonem: juſſuſque eſt ſtatim Claudius, Comes Sancti Paulli, qui terreſtribus copiis præerat, inviſere; ſitumque ac mœnia urbis ſedulo contemplari. Qui brevi cum imperata feciſſet, retulit, multi laboris, multique temporis oppugnationem fore. Corone inde

de placuit: idque militarium operum architecti 1685. excellentes duo maxime probabant, Johannes Verneda, & Baſſignanus, qui diligentiſſime cognorant. Sinum itaque Meſſeniacum ſine mora ulla ingreditur; eoque fert.

V. Urbs eſt Corone, manu valida, ſituque: cincta undique muro, trianguli forma; cujus ambitum crebræ turres, ac propugnacula muniunt. Qua pertinet ad Peloponneſum interiorem, coit in arctiorem veluti cuneum, qua clivus eſt leniter editus, cujus in vertice arx eſt; atque in arce angulo extremo turris ingentis cujuſdam magnitudinis. Militum magnis copiis tenebatur, cultorumque majore vi, qui operam certatim pollicebantur. Nullaque earum rerum, quæ bello uſui ſunt, deerat. Quibus Præfectus fretus, urbem defenſum iri, omnino ſperabat. Maurocenus, uti dictum eſt, eo accedit, nulloque impediente, non longe ab urbe milites exponit; ac ſtatim poſtulat a Præfecto, ut ſibi urbem dedat. Iſque ſuperbe, & contumelioſe cum negaret, Illyrios ſtatim mittit, qui vicum quemdam, paullulum à mœnibus ſejunctum, occupent. Quod illi faciunt. Continuo in propinquis urbi locis caſtra poſuit, quibus Georgium

Ben-

Digitized by Google

1685. Benzonum, ac Laurentium Venerium præfecit. Quibus patratis, munitionem biduo excitat adverſum turrim, cujus ſupra meminimus; eamque ad mare perducit. Tum locis duobus ſumma vi urbem oppugnat. Nempe, qua clivus eſt ad arcem, Illyrios agere jubet, militeſque generis Italici, ad tria millia: qua autem pertinet ad mare, quæ pars eſt dextera, Melitenſium copias ac Brunſvicenſium. Ipſe utroque in loco frequens adeſſe: hortari, cavere, curare ſedulo; ſimul ut globi plurimi igniferi in urbem conjiciantur. Ad hæc ut mari, qua fuit proxime, balliſtis, ac tormentis muri vexarentur. Quibus omnibus factum eſt, ut formido ingens intus eſſet; eaque aucta multimodis eſt, poſtquam ædes ac tecta pleraque igni arſere: mœniaque plerifque in locis disjecta. Idque cum animadverteret Maurocenus; urbiſque miſertus, petit a Præfecto, uti pactione dedat. Cum aſpere ac præfracte pernegaret: interdum minitaretur; tum Maurocenus iratus, cuniculis quoque rem agere inſtituit. Undique urget, quatit, vexat. Contra barbari e muris uſque tela jacere: identidem etiam erumpere: profecto urbem fortiſſime defenſare. Interea nuntiatur, hoſtes Tzaconia,

nia, ad quattuor millia, auxilio venire: ſimul equites quingentos caſtra ipſa adortos. Quæ nihil tamen Imperatorem movent. Nil oppugnationem remittere; & magna vi animi hoſti occurrere. Turmam Thomas Anandus, tribunus militum, ad ſexaginta cæſis, pellit: fugientes inſequitur. Illique curſu velociſſimo ad ſuos venientes tendere: unaque ſimul agros vaſtare: locis aliis, aliiſque caſtris minitari. Nil quieti eſſe ſinere. Quærentique ſedulo Imperatori de conſilio hoſtium nuntiatur, magnas ex Peloponneſo, aliiſque locis copias parari: propediem affuturas; quibus vis, atque impetus fiat; oppidumque obſidione liberetur. His cognitis Maurocenus caſtra undique celeriter munit: tumulum, qui imminebat, princeps occupat: quo cuncta barbaris infeſtiora forent; eumque multimodis vallatum Illyriis tuendum tribuit. Quæ res noſtris magno uſui deinde fuit. 1685.

VI. Interea Kalilus quidam, qui binis millibus militum præerat, his qui Tzaconia venerant, ſe adjungit; ejuſque adventu adeo barbaris animi crevere, ut caſtra caſtris propius admoverint; indeque irrumpere in vallum conarentur, atque in urbem penetrare. Dies no-

ctesque

1685. ctesque pleraque tentare. Dum læva adgrediuntur, tum vero contra vehementer urgere: ſimulque oppidanos hortari. & illi quidem ferocius adeſſe, jaculari: ululatibus ac voce terrere ac minitari. Interim Maurocenus cuniculos binos, qua ad mare erat, ubi Melitenſes una cum Brunſvicenſibus fortiſſime nitebantur, ſuccendi jubet: nempe, ſi res procederet, ut in arcem ea irrumperet. Id cum Kalilus, cæterique barbarorum animadvertiſſent, minus e ſententia uſuveniſſe, rupis cauſſa, cui erant mœnia inædificata; noſtroſque eſſe in rem maxime intentos: propere copias educunt; magnaque vi vallum petunt. Quibus ſe objecit Alexander Alceniacus, qui in ſtatione aderat; eoſque pepulit. Illique inde acti, in tumulum feruntur; brevique capiunt, pulſis Illyriis. Tum vero ingens metus noſtros invadit. Porro vereri, ne tumulo amiſſo, reliqui re territi, minus fortiter hoſti irrumpenti reſiſterent. Prorſus in ſummo diſcrimine res erat, cum Melitenſes celerrime, & audaciſſime in eos ferunt; ac turma equitum, quibus præerat Grimaldus Corbonius. Quorum exemplo, ac vocibus Illyrii illecti, eodem redeunt: ſubeunt magna vi. Potiti denique ſummo

mo

Digitized by Google

mo jugo, barbaros inde præcipites agunt: fuſos inſequuntur: ad trecentos cædunt: totidemque vulnerati. Signa militaria, quæ fixerant, duodeviginti capta; ex noſtris ad ducenti deſiderati. Quibus hi, qui intus erant, minime terrentur. Freti numero, crebro erumpere: opera diſturbare: tormentis quoque navium noſtrarum ſtationem plurimum vexare. Profecto res geri fortiter utrinque, ab oppidanis & oppugnatoribus. Interim barbari, qui tumulo dejecti fuerant, rati urbem brevi captum iri, niſi ſubſidia aliqua celeriter inferrentur: neque, quamdiu in hoſtium poteſtate tumulus foret, inferri poſſe, rurſus magno impetu, cunctiſque viribus in tumulum feruntur. Hoc antea veritus Maurocenus: itaque antecapere. Vallo ac foſſa tumulum munit: præſidiaque addit hominum firmiora; copias quoque proxime collocat militum fortiſſimorum, qui ſedulo caveant; quique in periculo continuo adſint. Vixque perfecerat, cum Turca ſumma vi irruit. Tum vero virtus eniteſcere. Noſtri fortiter propulſare: hoſtis reſiſtere, nulliſque ſuorum vulneribus, aut cæde retineri: repere, ſcandere, quoque modo adverſari. Bis fere jugum adepti, bis e veſtigio inde 1685.

Q q de-

1685. deturbari. Jamque barbari vocibus ac gemitu morientium timidiores facti, & periculi atrocitate, terga dabant, cum Kalilus, cæterique, qui ordines ductabant, gladio minitantes, interdum etiam ſævientes, ad jugum homines tertium adigunt. Illique, a ſuis æque metuentes, ad pugnam redeunt. Ingens utrinque tum numerus obtruncatur. Denique fuſi fugatique, caſtra petunt. Noſtri victores fugientes inſequuntur. Ea res, quamquam Kalili animum, ac cæterorum fregerat, tamen magno numero copiarum is fretus; & quæ tum erant; quaſque propediem opperiebatur: ad hoc eorum, qui intus erant, audacia, quos ferocius adfuturos arbitrabatur, ſi fortuna melior aliquando armis foret; aggeribus, vineiſque tumulum circumvenit; quibus noſtros, ibidem agitantes, in obſidione ipſe haberet. Diuque ac noctu inde aliquid tentare: urgere, minitari. Quæ Maurocenus multimodis contemſit. Namque & ſæpe opere prohibuit; ſæpius quoque in aggeres invaſit, fuditque; & tormentis perpetuo perculit.

VII. Hæc dum fierent ad Coronem, claſſis Turcarum Præfectus, Helleſponto interea exierat. Natura ferox ac vanus pleraque jactare;

lin-

linguaque horrificus, manu væcors, futiliſque 1685.
erat. Claſſe nitebatur, in qua quinque & quadraginta triremes erant valentiſſimæ, & formæ celſioris naves decem, milites fortiſſimi, & duces evocati, qui crebro alias virtute ac piratica inclaruerant: quodque probro nobis eſt, plerique illorum, qui noſtra ſacra impie deſeruerant; quos animi fortitudine, & audacia plurimum præſtare, ſatis conſtabat. Iſque primum Ægeum invectus, Tenedum inde, Mitylenen, poſtremo Phocæam magnis militum præſidiis confirmavit. Eaque celeriter cum perfeciſſet, Chium denique trajecit; quo loco cognovit, Venetorum Claſſem, cui Molinus ac Delphinus præerant, haud procul agitare. Atque ab his quidem vehementer timens: neu prœlio implicaretur; propere, ac multum vitabundus, Rhodum tranſmittit. Molinus tum, ac Delphinus ſedulo inſequi: portum, quo ſe ille abdiderat, obſidunt: dies noctesque ad pugnam laceſſunt. Ille ſepto latere: progredi, aut congredi nequaquam audere; ventis quoque reflantibus adjutus, ſine metu ibidem agitare. Interim Afrorum naves aliquot cum apparuiſſent non longe ab inſula, noſtri repente, portu relicto in eas ferunt: ma-

1685. gna vi, magnoque impetu inſectantur. At Afri, navium agilitate ſuperantes, facile elabuntur: uſique tempore, qui portu tenebantur. Iique, metu trepidi, propere Chium redeunt; indeque Naupliam trajiciunt; quo loco paulliſper morati, quid facto opus ſit, conſulunt. Denique decernitur, de ſubſidiis his mittundis, qui ad Coronem agitabant. Bina millia foſſorum: ad hoc novem militum lectiſſimorum cohortes continuo mittunt: litteras quoque Regis nomine, quibus imperabatur, uti urbi laboranti quoque modo præſidia adderentur.

VIII. Ibique adverſa pleraque noſtris fuerant: contra hoſtibus meliora. Namque his vires creverant, quibus audacius in prœlio verſabantur: porro iis multa attriverant, pugna crebrior, æſtus, labores, morbi, quibus ingens hominum multitudo conſumta fuerat. Hi quoque, qui opera ad mœnia urgebant, multimodis impediebantur, diu noctuque his ſtrenue agentibus, qui in urbe erant; quique extra noſtros diſtinebant. Quibus factum eſt, ut Maurocenus de re timere vehementer cœperit. Diuque meditatus, ſuos adhibet in conſilium. Ait, ſeſe urbem obſidentem, circumſederi; unamque ſibi vincendi, ejuſque

juſque capiundæ rationem videri, ſi primo quo- 1685.
que tempore caſtra hoſtium adoriatur. His potitis faciliora omnia fore. Quod cuncti cenſent, qui aderant. Is itaque, Conſilii ſententia cognita, ad VII. Idus Sextiles, nocte media, quæ præceſſit, centuriis aliquot, quæ aggeribus præſidio eſſent, relictis, tacitus vallo milites educit. Id ipſum faciunt claſſiarii, ac remiges partem magnam. Brevi edocet, quo tempore, quoque ſigno dato, hoſtes invadant. Deinde ſub lucem magno ſilentio eo accedit. Nullas pro portis cuſtodias invenit; nullaſque fere uſquam ſtationes. Somnus, aut cibus omnes oppreſſerat; nimia quoque fiducia fecerat ſegniores. Itaque repente, ab lateribus, a fronte, vallum adgreditur: quaque vis fieri potuit, cum omni copia impetum facit. Turba ingens totis caſtris, ac tumultus fit. Illique exterriti, nec arma capere, nec dicto ducibus audire: inulti plerique omnes, beſtiarum more, cæduntur. Terror ac fuga eſſe. Eoque modo caſtra hoſtium capta, Repertaque ibi plurima, quæ magno deinde uſui noſtris fuere: armorum, commeatus, jumentorum ingens vis: adhoc balliſtæ ſex inuſitatæ magnitudinis, ſignaque viginti militaria: in his

ve-

1685. vexillum, quod pro Prætorio ſtatui conſueverat, caudæque equinæ multæ, quæ barbaris inſigne imperii, ac poteſtatis militaris ſunt. Quas ob res magna in Claſſe, exercituque noſtro lætitia fuit; gratiæque, quantæ maximæ Diis Immortalibus agi pro tempore potuere, pie actæ, ſanctequе: tum Imperatori, cujus conſilio, ductuque tanta res geſta erat. Paſſim ab optimo quoque virtus celebrari, laudarique pluribus in cœna, & cœtu. Milites mentem divinam appellare: colere multimodis, obſervare, diligere: nutui, dictoque impigre, volenteſque parere. Eaque etſi oppidanis ſummæ formidini, & calamitati fuerant, tamen audacius urbem defenſabant. Mœnibus plurimum fidere, ac multitudine: præterea ſubſidia in diem opperiri. Imperatori ad deditionem hortanti, reſponſa aſpera, ac ſuperba perpetuo reddere. Prorſus aut emori, aut oppidum retinere velle. Itaque Maurocenus intentus agere: parare pleraque, niti; diu noctuque omni genere jaculorum vexare. Eratque ab latere oppugnatio difficilior; quod loci ſalebra ac ruina immanis cujuſdam magnitudinis vix quicquam viæ ad tentandum militibus faceret. Eo igitur homines jacere balliſtis,

tor-

tormentiſque pluribus imperat; quæ dum fierent, alios repere, & ſcandere. Eodemque tempore cuniculum ad turrim agi jubet, cujus ſupra meminimus; eique rei Baſſignanum præfecit. 1685.

IX. Hetruſci interea, aut laboris pertæſi, aut capi urbem poſſe deſperantes, de reditu in Italiam Imperatorem monent. At ille tum vehementer mirari: rogare, ne diſcedant; pluribuſque dehortari: docere, propediem urbem captum iri: orare, ut ejus laudis, & gloriæ ſocii forent. At illi, nulla ſpe freti, omnia abnuere. Denique abeunt, cæteris omnibus iniquiſſime ferentibus, & aſperius inſectantibus: triduoque poſt cuniculus ſuccenditur, cujus vi late pleraque disjecta. Quod factum eſt IV. Idus Sextiles. Eaque continuo fortiſſimus quiſque niti: in urbem invadere conari. Sequi impigre Melitenſes ac Germani. Simul ab mari terrorem addi: alias tormentis: alii quoque in littus exſilire; lociſque pluribus urgere, & hoſtem diducere. Illi vero acerrime reluctari: igni, lapidibus, miſſiliumque omni genere noſtros lædere: plurimos obtruncari. Ibique Allobrox, qui copiis aliquot auxilio venerat, a patre miſſus, adole-

ſcens

Digitized by Google

1685. leſcens eximia quadam virtute præſtans; ad quem etiam regnum, poſt ejus obitum, pertinebat; magna vi agere: primus, aut in primis aſcendere, ferire, cæteroſque magnis vocibus hortari: timidis animum facere. Quæ dum ſtrenue perficit, ictus lapide, pene interiit. Eoque modo ab hora diei ſecunda ad ſextam utrinque pugnatum eſt, varia fortuna. Noſtri denique, ter pulſi, tandem in muris conſiſtunt. Barbari tum, partim pro vallo digladiari, quod propius ad arcem, ut, vel captis mœnibus, hoſtem diſtinerent, ſatis firmum exſtruxerant: partim in arcem ſeſe recipiunt; ibique Kalilus, cæteri quoque, qui imperium tenebant, metu trepidi, de re propere, paucisque conſulere. Poſtremo cuncti, urbem tueri poſſe, omnino deſperantes, de deditione agunt, hac una lege, uti, cum ſingulis veſtimentis, ſingulis militibus & oppidanis exire liceat. Ac de his quidem Maurocenus in Conſilio quærere. Eaque dum tenet deliberatio, caſu evenit, ut cadus accenderetur apud noſtros, qui vallum proxime agitabant, cui vis pulveris exigua inerat. Turcæ tum, qui ad vallum erant, dolo fieri, tormentiſque rati; tormentis & ipſi agere, quibus aliquot noſtro-

ſtro-

Digitized by Google

ſtrorum militum interficiuntur. Ea res omnia 1685.
pervertit. Veneti ira, ac furore quodam acti, repente in vallum magnis vocibus irruere, indeque in arcem: quibus primo impetu captis, urbe diſcurrunt: cædunt, obtruncant: cunctaque diripiunt. Copia ibi cujuſvis generis inventa; ſupellex pretioſa, merx, auri argentique ingens vis cælati atque infecti: frumenti magnus numerus, telorum, armorum; tormentaque ad centum triginta. Eoque modo urbs nobilis, quinquageſimo poſt die quam cœpta eſt oppugnari: quæque diu fuerat forum locuples rerum venalium, in poteſtatem venit. Muri deinde continuo refecti; præfectique urbi Georgius Benzonus, & Juſtinus Ripa; purgatæ viæ, cruore fœdæ, & cadaveribus; ſanaque ac templa, deterſa ſuperſtitione, Deo ſacra O. M.

X. Quæ poſtquam Venetiis nuntiis cognita ſunt, litteriſque Imperatoris, Patres mirifice lætari: trium dierum ſupplicationem indicere: templaque univerſa patefieri, in quibus Deo honos habitus, gratiæque publice, privatimque actæ. Plebs multis laudibus Maurocenum in cœlum ferre: magnum conſilio, fortem, ſummum Imperatorem, Martem belli diu, noctuque compellare. Gramen, he-

1685. dera, corollæque ex his pertextæ, epigrammata, eclogia appenſa foribus, ac parietibus; vexillumque captum pro Prætorio, cujus ſupra meminimus, ab Imperatore miſſum, in Ædem Divi Cajetani, magna cerimonia, Princeps intulit. Præmiaque poſt paullo his decreta, pro cujuſque merito, quorum fuit opera, aut factum ullum egregium: grati quoque Patres maxime erga Imperatorem, Laurentium fratrem, Senatorem gravem, clarumque geſtis magiſtratibus, Equitem creant.

XI. Interea Maurocenus, omnibus compoſitis ad Coronem, cum claſſe Tzaconiam venit: utique tempore placuit, hoſtibus territis, noſtris alacrioribus ad rem gerendam factis. Ac tametſi Socii paullo ante domum abierant, Melitenſes, Romanique; tamen pleraque in tempore tentare ob id maxime voluit, quod Saxones ad tria millia auxilio venerant. Leuctrii quoque, gens belli, manuque ferox, ac Turcæ hoſtes ab ſtirpe ultima, ſpem juvandi magnis copiis fecerant. Plurima itaque moliri, terra marique. Litteris, nunciiſque Leuctrios hortari, uti Zernatam, firmam arcem, in rupe ſitam, haud procul a mari, oppugnent; ſeque adfuturum

rum

rum polliceri: quod illi faciunt; magniſque vi- 1685.
ribus diu, noctuque vexant. Ipſe Abæam navigat, arcem poſitam qua pars eſt oræ Laconiæ adverſæ. Diu loci ingenium oculis luſtrat; alioſque perſpicere jubet; deinde militem in littus deſcendere. Eaque dum fiunt; qui Zernatam tuebantur, ſibi diffidentes; miniſque ac vi Leuctriorum perterrefacti; ſimul fama Imperatoris adventantis; legatos oppidum deditum mittunt; ea tamen conditione, uti ſibi inviolatis abire liceat. Idque libens ille probat; ratumque habet; brevique miſſi, qui accepere. Lætuſque ea re maxime Imperator; quod brevi, ac ſine ulla ſua moleſtia, id oppidi in poteſtatem venerat; Abæam proxime copias habet. Urget undique. At hi, qui arcem tenebant, viribus locoque freti: ad hoc multis ſuorum millibus, qui adjutum venerant: quique ad quingentos ab arce paſſus caſtra poſuerant; audaciſſime reſiſtere. Id Maurocenus intuens; eoque modo ratus, Abæam capi poſſe, quo tandem Coronem ceperat; cum his ſtatuit initio confligere, qui in caſtris erant; quos ſi conficeret, ſtatim Abæa potiturum. Neque ea res eum feſellit. Igitur continuo adoritur; ac paucarum horarum ſpatio, in

1685. fugam vertit; plurimis obtruncatis, cæſiſque. Quo facto, Abæa facile potitus eſt: qui intus erant; quique defenſabant, ultro relinquentibus. Inde quoque, nemine reſiſtente, Gerenia, quæ ad Vitylum portum eſt, in ſinu Meſſeniaco; & Chielepha, quæ ab Tænaro, Laconum portu, haud longe abeſt. Eaque ratione tota illa regio in poteſtatem venit, quæ jacet inter ſinum Meſſeniacum, & Laconicum. Quibus patratis, Leuctrii multimodis ab Imperatore collaudati, donatique magnifice ſunt; tributæque ex pacto genti immunitates. Arces poſtpaullo binæ everſæ, Gerenia atque Abæa. Chielephæ vero, quam retineri placuit, præpoſitus Bernardus Balbus: Zernatæ Nicolaus Pollanius, & Franciſcus Theupolus: univerſæ denique regioni Laurentius Venerius, quorum omnium opera, atque ingenium præſtans in prœlio fuerat.

XII. Deinde Maurocenus, extremo fere autumno, cum omni Claſſe Corcyram hiematum venit; eoque priuſquam appelleret, Gomenitias, arcem exiguam illam quidem, ſed quæ tamen perfugium, ac latibulum quoddam piratarum erat, capere conſtituit. Sitaque ad oſtium Abi fluvii adverſum Corcyram eſt, natura loci ſa-

tis

Digitized by Google

tis tuta, præſidiis quoque militum aliquot, ac 1685.
latronum multitudine, quorum intererat, arcem ſervari. Idque cum cito exiſſet, re cultores, ac prædones territi, famaque Imperatoris, ſua ſponte arcem deſerunt: aliique ſe in montes aſperos recipiunt; alii alio dilabuntur. Vacuamque inventam ſtatim evertit. Tormenta ibi pleraque reperit, telorum atque armorum aliquem numerum; quæ cuncta in naves tranſtulit; veſtigiaque furtorum ac rapinarum plurima delevit; ignique combuſſit.

XIII. Ver advenit, quo tempore barbari 1686.
magnis copiis amiſſa recuperare conati ſunt. Ac primum loca, quæ ſpectant Chielepham, ſaltuoſa occupant: continuo deinde hanc terra adoriuntur. Quæ omnia, qui regiæ claſſi præerat, regebat; rudis homo, nec ſatis diligens, aut prudens belli. Eaque cum ita ageret, minime a mari proſpiciebat. Facile itaque pulſus eſt. Primum enim Laurentius Venerius, navium graviorum Præfectus, ſubſidio venit; ac militum aliquantum intulit: adhoc frumenti, aliarumque rerum, quæ bello utiles ſunt. Continuo deinde Hieronymus Cornelius cum navibus aliquot ſinum Meſſeniacum ingreditur; qui-

1686. bus omnibus Marinus Grittius, qui tum arcem obtinebat, alacrior ad tuendum factus eſt. Hiſque cognitis, Maurocenus Corcyra ſtatim proficiſcitur; brevique Vitylum intrat. Ibique, habito Conſilio, caſtra hoſtium aggredi conſtituit; militemque exponit. Id poſtquam barbari intellexere, vim opperiri, ac decertare minime auſi, noctu taciti egrediuntur: aliique, metu trepidi, alio diffugiunt; quos tamen Leuctrii inſecuti, plurimum in fuga perturbarunt; plurimoſque cecidere: vivi quoque capti aliquot, atque ad remum dati; tormentaque ſex ibi inventa; armorum, frumenti, olei, ac rerum aliarum affatim. Rebus in hunc modum ad Chielepham perfectis, omnique pacata regione, celeriter Leucadiam proficiſcitur Maurocenus, quo navales, ac terreſtres copias convenire paullo ante imperarat; eoque militum ſubſidia, quæ Senatus decrerat, poſt paullo venere; Romani quoque, ac Melitenſes Socii, eodem fere copiarum, ac triremium numero, quo ſuperioribus annis auxilio fuerant. Ibi naves, ac militem luſtrat: quæque deerant, ſupplet. Eaque agitanti litteræ ab Senatu ei redduntur, quibus illius virtus, ac ſollertia pluribus laudantur; factaque

po-

poteſtas, pro tempore, ejuſque prudentia, o- 1686.
mnia adminiſtrandi. Quibus vehementer lætus Maurocenus, multaque meditatus, poſtremo Conſilium indicit. Res geſtas ordine recitat; aitque, ſibi optimum factu videri, ſi in Peloponneſo rem deinceps gerant, quo parta tueantur; quoque, metu injecto, urbes, oppida, arces reliquas, quæ ibidem ſint, facilius capiant. Extraque per id tempus aliquid tentare, prætterquamquod aſperrimum factu ſit, id etiam facile evenire poſſe, ut, viribus diductis, barbari amiſſa, non magno admodum ſuo negotio, ac labore, recipiant. Quod cuncti cenſuere. Quærenti deinde Pylum ne primum, an Methonem exercitum duci placeret, Otho Guillelmus Conigſmarchius, copiarum terreſtrium Præfectus, Pylum contendit: idque ſi fieret, ſpem omnino hoſtibus adimi Meſſeniæ turbandæ, aut Corones recipiundæ. Quæ Imperatori mirifice probata. Itaque, Laurentio Venerio, ac Marco Piſano cum navibus ſexdecim formæ celſioris dimiſſis, qui Ægeo navigarent; cunctaque illorum diriperent, aut interciperent; ipſe cum Claſſe reliqua Pylum proficiſcitur. Eaque dum agit intenta cura, in itinere nuntiatur, barbaros apud Py-

1686. Pylum, uti defendant; utique prohibeant, ne miles in littus deſcendat, magno numero conſediſſe. Dolo itaque Maurocenus, atque aſtu facere. Quo trahat, aliis aliiſque locis ſignificare; illique accurrere; rurſumque ac prorſum curſare: cum repente, iis imprudentibus, quo voluit, exponit, vaſto littore ac relicto, Pylum proxime; continuoque aciem inſtruit, movet; eaque dum perficit, mittit qui poſtulent, arcem ſtatim dedi; idque niſi fiat, addit, nullum deinde miſericordiæ locum fore. Quæ norant barbari Imperatorem nequaquam temere minitari, aut prædicare; ac tum maxime quæ cæteris antea uſuveniſſent, qui præfractius reſtiterant, occurrere. Hiſque talibus in ſummum timorem perducti, horis poſt paucis hac lege dedunt, ut navi una Venetorum, quam probam Imperator præberet, ſua inde efferre, ſibique Alexandriam migrare liceret. Quod facile impetrarunt. Baliſtæ æneæ ad quinquaginta in arce repertæ: armorum magna vis, paniſque nautici, ac frumenti. Eoque pacto Maurocenus, ſine ulla ſuorum moleſtia, aut pernicie, Pylo potitus eſt; quam tueri Turca, vi fretus, atque armis tegere diu potuit, niſi metus obſtitiſſet; loci quo-

que

que ingenio, ac munimento pleraque juvante. *1686.*
Condita eſt enim ſupra rupem, quæ undique prærupta, ac præciſa eſt; eaque dumtaxat, qua pertinet ad Sphacteriam, quæ parva eſt inſula, contra ſita, aditus eſt, dextra lævaque. Atque, ut aſpera ac difficilia omnia forent, utrinque impedimenta pleraque paraverant, quibus ad portum contendenti opera diſtineretur. Nempe læva ſaxa immania, quibus illius os obductum eſt; eoque navigatio; nec procul dextera, littore interiore, oppidum arcemque ædificarunt; quam Pylum-novam, ut a vetere diſtingueretur, appellarunt, qua portum ingredi, cuſtodibus invitis, minime liceret.

XIV. Vetere igitur capta, erat nova reliqua, quæ caperetur; magni utique res laboris, multique temporis, uti videbatur; quod militum præſidiis, manuque firma urbs foret, arce firmior. Itaque, quo cito potiatur, tale conſilium init. Primo ſuis imperat, ut portum occupent; quo facto, tum e collibus, qui proxime ſpectarent, tormentis pluribus, ac balliſtis agit; quibus oppidanis magnus eſt timor injectus; uſuſque tempore, poſtulat a Præfecto, cui nomen Seffero, ut urbem tradat. Qui cum abnueret,

1686. auxilii ſpe, tum Maurocenus acrius intendere. Ollas ignitas addere: diu noctuque intro plurimas jacere; cunctaque inde intus ardere, ac ruere; moeniaque diſcuti. Eaque dum fiunt, nuntiatur; Iſmaëlem quemdam, magno peditum, equitumque numero, auxilio veniſſe; haud procul conſediſſe; inſigni hominem magnitudine corporis, decora facie, bonum conſilio, manu fortem, ſed arrogantia ac ſuperbia intolerabili. Cum hoc Maurocenus congredi conſtituit: quem victum iri quoque non dubitabat, ſi copia pugnandi fieret; eoque modo ſe Pylo potiturum. Continuo proficiſcitur, centuriis aliquot relictis, quæ oppugnarent. Alceniacum, Corbonium, Conigſmarchium edocet, quæ fieri velit, cæteroſque, qui ordines ductabant; deinde vi ſumma adgreditur. Brevi concidit, caſtra capit; ducemque ipſum hoſtium gravi vulnere perculit. Quo facto, ultro Sefferus oppidum tradit. Quod de vetere convenit, de nova depeciſcitur. Hiſque compoſitis, portum deinde cum omni Claſſe Imperator ingreditur, amplum ſane, longeque ac late patentem. Lætitiaque ingens, & gaudium a noſtris agitabatur, cum interea evenit, ut arx, qua pulveris magna vis contine-

ba-

batur, repente, igni injecto, fragore horribili 1686.
disjiceretur. Quo tempore Sefferus ipſe, barbarique plurimi diſperiere: ex noſtris quoque aliquot, remigum, aut militum numero. Quærentique mox facile apparuit, Sefferi id opera contigiſſe, dolore amiſſæ urbis; ſuoſque ut ulciſceretur, qui pluribus minitati, ad deditionem impuliſſent. Quæ etſi ad perfidiam pertinere videbantur, fidem tamen Imperator præſtare maluit; illique triduo oppido exceſſere, ad quattuor millia. Ipſe ſtata die magna ambitione urbem intrat, magnaque cerimonia; luſtrat, circumit; viaſque atque itinera a ruina locis pluribus cum inveniſſet, ſtrata cadaveribus, ſtatim pollinctores auferre juſſit; indeque ſpongiis ſanguinem effingi. Fana delevit, quibus impiæ religiones coli a barbaris conſuevere; templumque eximium ac memorabile, quod ſplendore ædis, ac magnificentia cæteris antiſtabat, noſtris carminibus purgatum, Divis ſacrari voluit, Vito ac Modeſto; ibique perfici poſt paullo rem divinam; continuoque muros refici, atque arcem dirutam; eique rei Jacobum Cornelium præfecit. Tum manu militum valida urbem ornat; imperiumque ac poteſtatem rerum omnium

 viris

Digitized by Google

1686. viris fortiſſimis duobus mandavit, Petro Baſadonnæ, & Stephano Lippomano.

XV. Ad Methonem inde animum intendit. Nova abeſt decem circiter millibus paſſuum. Oppidum eſt, ſpecie oblonga; marique alluitur partem magnam. Arcem, qua aditus a terra eſt, vallo ſeptam, foſſaque habet; quaque a mari, tutum altera, quæ ſita in inſula, quæ propter eſt, exigua; prominetque penitus in altum; eaque ponte itur ad urbem, rediturque. Præſidium ibi militum mille ducentorum tum fuit: ſeſſores ad quattuor millia. Statimque a terra adoritur. Aciem dum inſtruit, aliaque parat, quæ pertinent ad oppugnandum, mittit interea, qui bonis pactionibus ad deditionem hortetur: monetque de Corone. Quæ cuncta illi ſuperbe ſprevere. His cognitis, Maurocenus continuo aggreditur. Tormenta pleraque uno tempore, ac balliſtas adhibet: vineis, cuniculiſque urget: globulique igniti, imbris modo, intro conjici. Oppidani contra fortiſſime defenſare: multimodis ferire, aut obtruncare. Urbe tamen egredi minime audere. Eaque ratione oppugnationem extrahere. Imperator tum circuire: hortari, rogare; opera adire: præmiaque & honores

res

res polliceri. Idque ipſum impigre Conigſmar- 1686.
chius. Qui dum imperat, ſubit magna vi; ve-
ctuſque equo, huc illuc curſat, neſcio quo fa-
cto, eo effunditur; pectuſque & humerum af-
fligitur: qui tamen dolore nequaquam victus,
cum aliquantulum in tabernaculo quieſſet, re-
cens vi animi, ac valens poſtpaullo eodem red-
iit. Cunctaque in urbe ardebant; murique mul-
tis locis erant dilacerati; opera quoque ad foſ-
ſam propius admota. Quo tempore Maurocе-
nus de deditione iterum rogat. Illique periculo
moniti, diem ad deliberandum poſcunt. Impe-
trant, Pleraque deinde cauſſati; in his, nihil
agi, aut conſtitui de re poſſe, Præfecto copia-
rum, qui aberat, imprudente, dies quindecim,
quibus ille moneatur, poſtulant. Eaque dum
fiunt, interim transfuga docuit, dolo barbaros
omnia facere: deditione prorſus abhorrere; eoſ-
que peſſime odiſſe, qui intus hortarentur: ſpe
auxilii diſceptare. Si paullo acrius enitatur, ci-
to potiturum. Itaque Maurocenus ferocius ter-
ra urgere: tum deinde addere a mari: navi cel-
ſiore ollas igniferas jacere. Quibus cuncta dele-
ri, ac dirui oppidani cum animadvertiſſent;
nullamque ſpem tuendi, vel auxilii eſſe, mit-
tunt,

1686. tunt, qui dedant; uti tamen ſibi inviolatis abire liceat; ſuaque auferre, datis navibus, quibus in terram Africam vehantur; iiſque vita, libertas, reſque omnes ſuæ ſalvæ ſint, qui manere in urbe malint. Quæ rata omnia Imperator habuit. Id addit: nequem captivum Chriſtianum, vel Æthiopem abducerent; utique triduo excederent. Eoque modo quindecim diebus oppugnata urbs tandem in poteſtatem venit; eodemque tempore Arcadia quoque, arx maritima Meſſeniæ, ad Sinum Cypariſſium, a ſuis deſerta; Meſſeniaque tota. Eaque ubi litteris Imperatoris Venetiis cognita ſunt, Patres ſupplicationem indicunt; Diiſque dies aliquot gratiæ actæ; pluribuſque in Curia Maurocenus collaudatus: plebs virtute ac benivolentia in cœlum ferre. Nos carmen vidimus cum oratiuncula, qua hac Methone capiunda laudatur Imperator, quod nihil amiſerit; cum illa altera, quæ fuit ad Olinthum, de qua Valerius:

Parva Methone,
Et levis Elis equis, & fluctibus obvius Aulon;

Philippus laudatur, quod amiſerit oculum. Quod Demoſthenes fecit: quodque Salluſtius, ab hoc ſumtum, tranſtulit ad Sertorium. Sed eo revertamur.

XVI.

XVI. Meſſenia igitur potitus, parat ad Nau- 1686.
pliam; ſic ratus, barbaros, ea capta, omni Peloponneſo facile pulſum iri. Sita in rupe urbs eſt, Sinu Argolico interiore; marique tota fere alluitur. Qua pertinet ad continentem, terra aditur; illaque mœnibus, foſſa, valloque multimodis munitur. Inſula eſt exigua e regione, quæ paſſus ad ducentos urbe abeſt; eaque portum, quo tota Græcia nullus eſt alius frequentior mercatore, naves tenent. Itaque Maurocenus, omnibus paratis, VI. Kalendas Sextiles, cum omni Claſſe eo navigat; brevique pervenit. Statim milites exponit; indeque, acie inſtructa, in urbem fert. Montem, cui nomen Palamidæ, occupat, qui Naupliæ imminet. Venienti militum manus ſe objicit, qui tamen intro continuo pelluntur. Tum aggeres magnos jacit; atque ex aggeribus balliſtis pluribus, tormentiſque muros quatit: ſimul lapides e monte, vimque ignis ingentem deicit: ad hoc, quo mœnia diu, noctuque tentet, opus imperat. At Muſtaphus, qui urbi præerat, vir impiger, ac peritus belli, diligenter agitare: frequens ipſe in muro adeſſe: jubere item alios; quo periculum moneret, eo accurrere: ſegnem neminem eſſe

pati.

1686. pati. Viribus, quæ Naupliæ militum, & oppidanorum ſatis firmæ erant, plurimum fidere: prætorianis quoque, qui arcem tenebant: tum vero maxime Iſmaële, cujus ſupra meminimus, qui magnis copiis, in campis patentibus, haud procul Nauplia, caſtra poſuerat. Satiſque certa ei ſpes erat, propediem Chalcide, militum, rerumque omnium ſubſidia pleraque adfutura. Magno igitur Muſtaphus animo eſſe: ferocius agere: alioſque hortari. Quæ cum Mauroceno nunciarentur, anceps cura cepit. Namque hoſtium numerum in dies magis confirmari, ſuorum multis caſibus deteri, cernebat. Igitur ſtatuit Iſmaëlem continuo in caſtris adoriri; ne ſi diutius rem prolataret, res aſperior deinde foret. Munia itaque in tempore diſpertit. Æneam Ripettam, qui urgeat, cum militum manu ad urbem relinquit: Hieronymum Delphinum, & Fauſtinum Ripam, qui operibus, quorum ſupra meminimus, præſint. Tum Conigſmarchium recta ad hoſtem proficiſci jubet; ipſe cum triremibus id littus petit, unde Argos brevior via eſt; ibique militum aliquantum, ac remigum exponit; iiſque imperat, ut barbaris pugnantibus a tergo appareant; eoſque circumveniant.

Illi

Illi celeriter juſſa efficiunt; factumque brevi eſt, 1686.
ut fuſi hoſtes fugatique ſint. Ferunt, Iſmaëlem diu fortiter decertaſſe; ſuoſque magnis vocibus ad certamen impuliſſe: ſed poſtquam ſenſit, ſe circumveniri; aliique miſſi nuntiarunt numerum vero ampliorem: re, ſpecieque vehementer territum, principem ſeſe fugæ dediſſe; ac primum Argos, unde præſidium, quo urbs tenebatur, feſtinans deduxit; continuo deinde cum his, qui ex prœlio ſuperfuerant, reliquiſque Corinthum petiiſſe. Igitur Imperator, hoc pulſo, Argos ſtatim occupat; ac ſine mora ad urbem redit; eamque poſtulat ſibi pacto dedi. At Muſtaphus viribus fretus, locoque, magis irridere: ſuos precibus, minis, pecuniaque, & ſpe honorum plurimum hortari, uti tueantur. Spem nihilominus in auxilio habere: Iſmaële quoque: opperiri in diem pleraque: magna ac magnifica prædicare. Ac tum quidem Maurocenus infenſior eſſe, atque infeſtior diu noctuque. Undique urgere: nulla re abſtinere, quæ pernicie ſit, aut exitio; intereaque aggerem foſſæ infert. Ipſe princeps niti, cæterique vi, aut hortatu. Eaque impigre dum fiunt, Alexander Alceniacus, in primis pugnans, cecidit, glande ictus:

1686. plerique item ex tribunis ac centurionibus: labore quoque attriti, atque æſtu interiere, Barbonus Bragadenus, & Carolus Conigſmarchius, Othonis fratris filius.

XVII. Iſmaël interea diligenter agitabat. Militem quoque modo legere: vi, miniſque adigere; brevique tempore ſatis magnum numerum expleverat; quem poſtpaullo cohortibus ſeptem auxit, quæ Chalcide advenere; iiſque in ſpem ſummam venit Naupliæ liberandæ. Ac Corintho decedens, paucis poſt diebus, proxime ad noſtra munimenta accedit. Oppidanos, dum ipſe pugnet, ut magna vi erumpant, hortatur; illique citius egreſſi, quam adeſſet, facile pulſi ſunt. Ille enim, ſive timens, ſive alia meditatus, protelare. Denique IV. Kalendas Septembres, qua noſtri minimum veriti, ea Iſmaël impetum fecit. Primumque Illyrios pepulit, qui ad vallum aderant; audaciuſque barbari nitebantur, cum ſocii præſto fuere, quibus ſunt paullulum retardati. Tum Conigſmarchius celerrime accurrere; ſatiſque providenter omnia imperare. Qua ſenſit, ferocius homines inſtare, continuo obviam ire: ſuccurrere: feſſis integros addere: modiſque omnibus reſiſtere. Eaque dum

magna

magna vi animi, & corporis exſequitur, equus 1686.
interea, quo vectabatur, glande trajectus, concidit; ipſeque in terram affligitur, ac latus contunditur. Id cum noſtri animadvertiſſent, nequaquam tamen prœlio ſunt deterriti; memoreſque virtutis priſtinæ; eumdemque eſſe Turcam, quem paullo ante fudiſſent; quemque antea toties profligaſſent; acriter pro victoria nitebantur; idque eo magis, quod Conigſmarchium, corpore affectum, cernerent, in acie acriter perſtare. Hæc celeriter ad Maurocenum perferuntur, qui tum aberat; marique agitabat, uti Claſſe tueretur. Statim itaque triremes ad littus admovet: claſſiarios ad bis mille quadringentos exponit; tum multum feſtinans locum pugnæ una ſimul petit: adoritur ſumma vi; diuque certatum eſt varia fortuna. Noſtri poſtremo vocibus Imperatoris ac virtute acti, hoſtem loco movent. Tum vero Iſmaël, ſuos poſt paullo pulſum iri, pro certo habens, in clivum, qui propter erat, properans ducit; ibique quaſi in tuto aciem inſtruit. Veneti hoc læti, quod vallo ſummoviſſent: inde ſeſe poſtpaullo fundunt; atque in clivum ferunt. Quod ſtatim ac Turcæ animadvertere, priuſquam illi

Tt 2 per-

1686. pervenirent, fugæ ſe præcipites dant. Cædes tum magna illorum eſſe. Noſtri, proculdubio victores, inſequi, cædere, obtruncare. Capti multi: plurimi vulnerati: ad mille cecidere. Ex noſtris quadringenti fere deſiderati. Tum Muſtaphus, amiſſa ſpe, de deditione cum Imperatore agere; initioque pleraque poſtulare. Poſtremo convenit, uti barbaris oppido abire liceret; ſuaque ſecum ferre; naveſque a Venetis præberentur, quibus in oram Troadis, eam, quæ eſt contra Tenedum, vehantur. Dieſque decem, quibus urbe excedant, præfiniti. Quo facto, Maurocenus cum triremibus portum ingreditur; quo loco roſtratas hoſtium binas reperit, ac lembos ſexdecim; iiſque potitur. Muſtapho deinde, atque Haſſano fratri, petentibus, ut ſe Venetias recipere liceret, ne capite pœnas darent, ſi Bizantium redirent, liberaliter permiſſum. Balliſtæ aliquot in urbe, atque arce inventæ: ænea tormenta graviora ſeptuaginta ſeptem: commeatus item ingens vis. Eodemque fere tempore Thermiſſus pactione in poteſtatem venit, quæ arx eſt maritima Argolidis, ultra Scyllæum promontorium, in ora ſinus Saronici. Litteræque de re tota ab Imperatore

con-

continuo ad Senatum miſſæ. Idque poſtquam 1686.
cognitum eſt, ingens Venetiis gaudium eſſe.
Porro lætari de Mauroceno, ut ſeque, & exercitum more majorum gereret: in adverſis locis, victor tamen virtute fuiſſet: hoſtium agro, atque urbibus potiretur. Iſmaëlem magnificum in fuga ſpem ſalutis bis habere coëgiſſet: Muſtaphum quoque Naupliam dedere. Itaque Senatus, ob ea feliciter acta, Diis Immortalibus ſupplicia decernere: Civitas antea ſollicita de belli eventu, læta agere: de Mauroceno fama præclara eſſe. Gratiſque Patribus, Senatuſconſultum, neque ita poſt multo, fit, ut Petrus, fratris filius; quique in Claſſe apud Imperatorem Legatus aderat; Eques creetur. Eaque dignitas hæreditario familiæ jure natu maximum perpetuo ſequatur. Conigſmarchio quoque, cujus in prœlio virtus maxime enituerat, patera aurea præbita pondo viginti quinque: cæterique, quorum ductu, operave res confecta erat, publice pro meritis collaudati, donatique. His cognitis, Maurocenus diligentius agitare. Intentior ad rem niti. Meminiſſe, poſt gloriam invidiam ſequi. Itaque, quo clarior, eo magis anxius, ſollicituſque erat. Naupliam continuo primum

pur-

1686. purgare: ædem quoque; ac pro victoria Deo Optimo Maximo gratias agere. Deinde Fauſtinum Ripam; eoque poſt paullo mortuo, Caſparem Bragadenum, & Benedictum Bollanum urbi præficit: arci Marcum Priolum; illiſque imperat, ut tecta brevi, muroſque, & propugnacula reficiant. Ipſe feſtinans, ſi forte Turcarum claſſem allicere ad pugnam poſſet, quæ Cycladas circumvehebat, urbe movit; conatuſque Sunium, Atticæ promontorium, ſuperare, minime potuit, ventis reflantibus. Itaque, Septemtrione uſque invaleſcente; ad hoc triremibus, nequaquam maris æſtum, ac jactationem diutius ferentibus, Naupliam revertitur.

XVIII. Cæſar interea Budam cepit; territique barbari, cum Venetis de pace mentionem facere, quam ex fœdere illi abnuunt; datæque mox a Patribus litteræ ad Maurocenum, quibus pleraque monentes, ad bellum hortantur. Iſque Naupliæ cum exercitu hiemabat. Sed profecto conditio eſt miſera, atque aſpera rerum humanarum; ut quas paullo ante lætas videris, florenteſque; eas poſtpaullo contuſas cernas, attritaſque. Namque victor Venetus exercitus; urbibuſque maximis atque arcibus potitus, quæ natu-

natura loci, viribuſque capi minime poſſe vi- 1686.
debantur: cum lætitiam & quietem, labore feſſus, agitaret; virtuteque frueretur Imperatoris; 1687.
repente peſtilentia correptus, multimodis detritus, afflictuſque eſt. Ferunt, calamitatem a Gallis mercatoribus illatam, qui Ægeo, quique terra, locisque peſtilentibus, Naupliam navigaſſent; eoque corruptos commeatus invexiſſent. Quo facto tabes invaſit; multique mortales fœde periere. Ea re vehementer anxius, ſollicituſque eſſe Maurocenus. Itaque propere, quo ſervet, milites, qui valerent, navibus imponit; Pylumque trajicit. Porro affectos ad Oenuſas ferri; ibique ſevere cuſtodiri juſſit; cavitque, nequis inde aliquo dilaberetur; neu quis ad eos alicunde accederet: eoque pacto reliquus exercitus eſt conſervatus. Lætuſque Imperator de re tanta, Diis primum gratias agere. Tum continuo Conſilium habet, quo decernitur, uti in urbes reliquas intendat, atque arces Peloponneſi. Illique placuit ſtatim Patras. Sitæ haud longe a faucibus Sinus Corinthii ſunt; abſuntque a mari ad mille paſſus. Summo jugo arcem habent, ſatis firmam: declives ipſæ. Urbi Rhium vim addit, Peloponneſi promontorium, quod non longe abeſt; cui

arx

1687. arx ineſt, quæ ad mare prominet; quæque anguſtiis imminet, quas diximus; contra quoque Antirrhium, quod Ætoliæ promontorium eſt, ſitum angulo extremo; quodque eſt arce præditum munitiſſima; qua utraque ſinus etiam maxime confirmatur.

XIX. Eo igitur fert; ſtatimque ſenſit, vi rem aſperam omnino fore, niſi vehementer dolo juvaret. Nam Turca urbem præſidio auxerat; tum non longe cum magnis copiis conſederat; tutaque omnia in loco hæc feciſſe homini videbantur: urbs poſtica, antica palus; caſtra quoque foſſa, ac vallo ſepta: ad hoc commeatus ingens vis, quæ ſinu facile advehebatur, ex Ætolia, & Locride. Ferox ergo eſſe, ac valde minitari. Negare, itum, aditum, ambitum ullum eſſe, qua vel unus aliquis lixa, aut calo, aut ferentarius queat a nobis repere; ac de urbe cogitare: manipuloſque plures militum fortiſſimorum, aliis aliiſque locis, in littore conlocarat, qui prohiberent, ſiquis noſtrorum deſcendere conaretur. Igitur in tanta rerum iniquitate, ſedulo facere Maurocenus. Ipſe circumſpicere, qua exſcendat: jubere item alios: huc circumvehere, atque illuc. Denique animadver-

Digitized by Google

madvertit, procul ab urbe, locum humilem ac 1687. paluſtrem; eumdemque vaſtum ab humano cultu; quem ille neglexerat. Hunc itaque facile deligit; eaque milites exponit. Idque ubi cognovit, multum ſe Turca reprehendit; ac tum maxime intellexit, vera eſſe, quæ periculo quoque alii antea didicerant; ac pluribus præceperant; ſibi cum homine ſolerti rem eſſe; quique non tam viribus, quam animi conſilio vinceret. Ac mittit continuo, quæ diſtineat, alam equitum; alios deinde; hoc ſperans, ut diſpalatos, pro tempore, & incompoſitos adgrediatur; eoſque disjiciat. Sed Maurocenus, quæ tum fierent, omnino fore, cum animo præcepiſſet; ſatis providenter milites inſtruxerat; uſuſque opera Conigſmarchii, brevi barbaros pepulit. Deinde ſedulo quærere, quonam maxime pacto ipſe copiis inferior: nam peditum ad millia octo vix erant; equites mille quadringenti: vim magnam hoſtium, tutiſque locis agentem, profligaret. Profecto magnæ ſæpe res, non ita magnis copiis ſunt geſtæ. Tale igitur ad eam rem conſilium capit, ut eos primum commeatibus intercludat. Itaque Benedicto Sanuto imperat, Sinus Adriatici Præfecto, ut ſumma vi noctu in

1687. ſinum ferat; eumdemque occupet. Quod ille celerrime fecit: eoque potitus, ad hoſtem ire parat: quem ſi viciſſet, urbe facile ſe potiturum, arbitrabatur. Duæ erant viæ, qua e ſinu, quem obtinebat, ad adverſariorum caſtra poſſet pervenire; quarum altera, per loca aſpera, ac deſerta; quæque nemo incolebat, propter rerum omnium inopiam; cæterum brevior; multarumque horarum erat: altera deinde, qua omnes commeabant, quæ longiorem habebat amfractum, ſed quæ hoſtibus infeſtior erat. Si per loca igitur illa ſola eo contenderet, ſperabat, hoſtem ſe imprudentem oppreſſurum. Ea itaque conſtituit; illaque Conigſmarchium ducere milites jubet; ac noctu facere. Eodemque tempore claſſiarios exponit, magnamque remigum turbam; hiſque imperat, ut prœlio barbaros a Conigſmarchio diſtentos, a tergo circumveniant. Conigſmarchius celeriter mandata perficit. Homo militaris, quod multos annos miles, aut Tribunus, aut Præfectus, in bello fuerat, cum magna gloria; pleroſque milites, factaque eorum fortia noverat: ea commemorando, illorum animos accendebat. Ortoque jam ſole, hoſtibus, nihil inde quicquam opinantibus,

bus, apparuit. At hi, tametſi ſubita res fuerat, 1687.
tamen freti numero, e caſtris magno impetu egredi: primo equites, quibus potiſſimum valebant: continuo pedites ſequebantur; quibus noſtri, qui in prima acie ſubſtiterant, loco moventur. Tum Conigſmarchius, ut militem juvaret, tranſverſas trabes, machinaſque objicere, quæ equos fere æquarent; eaſdemque telis ferreis inſtruit acutiſſimis; quibus ſunt barbari retardati. Ad hoc glande plurima undique jaculari; eaque ratione, cædem hoſtium magnam facere. Claſſiarii interea, de quibus ſupra demonſtratum eſt, ac remiges adveniunt; ſummaque vi irruunt; illique circumventi, primo acie atque ordinibus perturbari; ſtatim deinde ſeſe fugæ præcipites dant. Septingenti in prœlio, plures in fuga cecidere; ſignaque militaria capta pleraque: in his caudæ aliquot equinæ, vexillumque maximum; prædaque ingens in caſtris fuit. Quibus cognitis, qui Patras; quique Rhium defenſabant, formidine ingenti acti, deſerunt; ac fuga ſe Corinthum recipiunt. Uſuſque tempore Maurocenus, Antirrhium ſtatim navigat; unde haud procul barbarorum ad dena millia, qui caſtra paullo ante poſuerant,

1687. aberant. Qui cæterorum & ipſi morem ſecuti, metuque præcipites, cito diffugiunt; arcemque optimam, pulveri igne injecto, partem maximam disjiciunt. Eaque mirari plurima Imperator: audituſque eſt crebro illa prædicare: *Nec metuere in bello, homines debere, & audere pleraque.* Patris itaque, Rhio quoque, atque Antirrhio hoc modo captis, Naupactum celerrime contendit. Urbs eſt Ætoliæ, quæ Antirrhio abeſt ad quinque millia paſſuum; ſitaque ad oram Corinthii Sinus in colle edito; natura loci, manuque tuta: ſepta undique mœnibus firmiſſimis; quæque arx, jugo ſummo ædificata, firmiora fecit; quam cultores quoque diu credidere, fame una capi poſſe. Hanc, ubi venit, ſtatim occupat, a ſuis deſertam. Quæ cuncta peperit prudentia Imperatoris, qui primum ad Patras hoſtes fudit; iis deinde metum injecit; quo, veluti furiis quibuſdam acti, vani deinceps, amenteſque omnia geſſere; & quas vi, diuque vix pugnando cepiſſet, diebus duobus, quattuor conſilio cepit. Inventaque in his pleraque: commeatus magna vis, ſupellex pretioſa, fiſtulæ atque enſes plurimi, pecuniæ, cælatique argenti, atque infecti affatim; tormenta item plurima, balli-

balliſtæ maximæ ad ducentæ: lembi, cymbæ- 1687.
que in ſinu aliquot, quibus utebantur, qui piraticam facerent. Has deinde ſingulas Maurocenus, qui adminiſtrarent, binis tribuit: Patras quidem Hieronymo Priolo, & Johanni Griono: Rhium quoque Marco Barbadico, & Hieronymo Theupolo: deinde Taddæo Gradonico, ac Joſippo Melio Naupactum. Unus Antirrhio Aloyſius Sagredus præfuit.

XX. Belli ſedes ad Corinthum fore deinde videbatur, quo ſe barbari fugientes fere abdiderant; quam ſatis firmam arx fecerat, in colle poſita, uti urbium Græcarum mos fere eſt; ſituque atque arte valida: regio præterea, undique omnino aſpera ac prærupta, viæ confragoſæ, ſaltus, antraque; quibus agentes vel pauciores, ingentem vim hominum pellere, atque arcere potuiſſent. Quod ſecus tamen accidit. Nam ubi barbaris nuntiatum eſt, mari Maurocenum, terra quoque Conigſmarchium ad ſe venire; terrore illo eodem victi, urbe atque arce universi dilabuntur, ac tota mox Peloponneſo. Quo facto Maurocenus Lechæum portum Claſſe occupat; urbem deinde; eique præponit Angelum Michaëlium. Clauſtris mox, quæ regioni, veluti

1687. luti cuſtodiendæ, confirmandæque natura dedit, militum præſidia addit, quibus Aloyſium Citadellam, virtute ac gente clarum, cujus in Illyrico, ad Singum, ad Patras quoque, præclara pleraque facta fuerant, præficit. Ipſe poſtpaullo Sinum Saronicum invehitur; litteræque ſtatim, nuntiique ad Senatum miſſi, quibus Patres de rebus a ſe geſtis docuit: minuſque uſus multis verbis, vel ambitioſa oratione, rem brevi, ac ſimpliciter narravit, quemadmodum quæque acta foret; Diiſque omnia tribuit. Quæ facta illa plurimum ornarunt; diuque Senatus laudavit. Eæque in Senatu de more recitandæ, in Comitiis recitatæ, quæ tum caſu habebantur: credo ego, Dei Optimi Maximi voluntate, & ut Civitas continuo cognoſceret; quoque loco de amiſſa urbe Corrarius invaſerat; virtutemque detriverat; eo hanc probaret; & pro urbe redditam Peloponneſum audiret. Ibi tum voces, plauſuſque gratulantium ingens fuit. Quiſque illius facta, ac facinora magnifica narrare: in cœlum tollere: Patriæ laudi, gloriæque prædicare; eique tuendæ, & augendæ natum: Scipionem appellare. Comitiaque Princeps continuo diremit; rectaque in Ædem Divi Marci, omnibus

bus comitantibus, deſcendit; ibique læti gratias 1687.
agere. Statim deinde fit Senatuſconſultum, uti ſtatua ærea in armamentario Decemvirum ei ponatur. Quodque nemini antea uſuvenerat, ut ex devicta gente, moribus Venetorum, cognomen adipiſceretur, appoſita inſcriptione, publice ei tributum:

Francisco Mauroceno
Peloponnesiaco adhuc viventi
Senatus.

Ibi quoque equinæ conlocatæ, ac prætorium vexillum, virtutis honoriſque teſtes, quæ memoriam proderent. Petrus quoque, fratris filius; quem Legatum Imperatoris ſupra memoravimus: quod fortiter rem geſſiſſet, Conſiliarius lectus: neu a bello avocaretur, Hieronymus, ejus frater, natu minimus; quique deinde Tauriſanis Epiſcopus miſſus eſt; Brixianis mox; quem nos Oratione mortuum deflevimus, quam habuimus in illius funere; quæ in vulgus manavit: eam dignitatem interea tenere juſſus, annos vix natus unum & viginti: quod Veneta Civitas nunquam vidit. Verſaque ad externos Patrum benignitas eſt; qua Veneta Reſpublica plurimum antecellit; plurimumque nitet. Namque Co-

nig-

1687. nigſmarchius publice primum laudatus eſt; tum auctum ei militare æs, ad ſex millia nummum argenteorum, in annos ſingulos; illi additum, quod pendebatur: Maximiliano Brunſvicenſi, maximi pretii gemma decreta: enſis Turenio gemmato manubrio: præmiaque alia, honoreſque aliis liberaliter tributi, quorum modo aliquo egregia fuiſſet opera.

XXI. Quæ Venetiis dum aguntur, Maurocenus interea properabat. Terra, marique pleraque movere, & imperare: Claſſem remige ſupplere: ornare milite, armis, commeatu. Deinde profectus ad Chelonatem, quod Elidis eſt promontorium, contra Zacynthum, parvam arcem ſine ullo prœlio cepit, cui nomen Caſtro Torneſio. Indeque feſtinans, Vitylum ingreditur, cujus ſupra meminimus: quo loco Spartam deditum legati a Turca venere. Eaque eſt arx ad amnem Eurotam, a vetere dicta illa Sparta, quæ a ſtirpe interiit, haud procul in ſublimi ſita. Quod Maurocenus ratum habuit; factaque poteſtas, ut cum ſingulis veſtimentis inde egredi ſingulis liceret. Neque ita poſt multo Sinum Argolicum invehitur. Ibique dies aliquot de Epidauro Limæra egit; deditque operam, ut pa-

ctione

ctione adipiſceretur. Urbs in Inſula una erat reliqua, quam barbari tenerent. Idque hos abnuere, ubi cognovit; continuo a mari vi adigit: globos igniferos plurimos adjicit, quibus & muri, tectaque ædium locis pluribus disjecta. At illi tuti, fretique munimento arcis, quæ in rupe celſa ſita erat, omnia ſpernere; aſperique agere & dictitare; atque e ſummo vertice noſtris maledicere. Ac Maurocenus cum intelligeret, multi temporis rem fore; ſeque abſtrahi a majore: namque Chalcidem ſpectabat; Athenas quoque: morandi tempus non habens: incoeptum deſerit: abit; brevique Cenchræas, qui Corinthiorum portus eſt, in ora Sinus Saronici, venit; quo paullo ante naves tres venerant, ab Senatu miſſæ, cum commeatu ac militum ſubſidiis. Ibique Conſilium habet; quo diu, Chalcidem ne, an Athenas ferret, quæſitum eſt. Tandem cum Athenas placuiſſet, eo navigat: Atticam circumvehit: Piræeum poſtremo ingreditur; militeſque exponit; ac ſtatim adgreditur, Urbs eſt exigua, nulliſque mœnibus, aut munimento: cujus, quæ vis eſt, arce continetur, quæ eſt firmiſſima, in colle edito ædificata; quæque urbi imminet; illique ineſt Minervæ 1687.

1687. fanum admirabile. Quo majeſtas illa urbis recidit imperioſa, quæ Græciæ decori: gentibus externis diu terrori fuit: unde Latium: unde Urbs Roma eluxit; unde illa didicit, quibus magiſtram deinde vicit, vel æquavit. Sed ad incoeptum redeamus. Barbari, ubi Maurocenum urgere vident, urbem deſerunt; ſeque in arcem recipiunt; indeque acerrime repugnare. Petentique mox, uti dederent, cum minime paruiſſent, celeriter oppugnari arx cœpta; brevique pars muri tormentis disjicitur. At illi nihilominus, ſpe loci, atque auxilii reſiſtere. Neque ita poſt multo Thebis adjutum magnæ militum copiæ venere. Id Maurocenus, ſtatim ac illi profecti ſunt, cum a perfugis cognoviſſet, priuſquam propius adeſſent, obviam it: congreditur: horiſque paucis perculit. Arx interea validiſſime oppugnari, diu noctuque; ut quies nulla Atticis barbariſque daretur. Eaque dum fiunt; caſu accidit, ut olla ignita fanum, quod ſupra memoravimus; quoque vim omnem pulveris illi conjecerant, diſturbaretur. Quo facto, plurimi mortales fœde perierunt. Hiſque omnibus perterrefacti, ſe dedunt; Smyrnamque, navibus, uti convenerat, ab Imperatore præbitis,

tra-

trajiciunt. Pleraque ibi Græci ingenii opera re- 1687.
perta; bina in his ad Piræeum Leonis ac Leænæ marmorea ſigna; eaque ad omen Venetias miſſa; quæque poſtpaullo, Senatus juſſu, ad Navalium fores ſunt collocata: hoc addito Epigrammate, quod Civitatis, Victoriſque nomen ornaret:

Franciscus Maurocenus
Peloponnesiacus
Expugnatis Athenis
Marmorea Leonum Simulacra
Triumphali Manu
E Pireeo Direpta
In Patriam Transtulit
Futura Veneti Leonis
Quæ Fuerunt
Minervæ Atticæ Ornamenta

Hoc quoque parte altera:

Atheniensia Venetæ Classis
Trophæa
Veneti Senatus Decreto
In Navalis Vestibulo
Constituta.

XXII. Sed eo redeamus. Maurocenus, ubi Athenis potitus eſt, diu dicitur urbem, atque

 arcem

1687. arcem contemplatus; diuque rerum humanarum varietatem admiratus, hæc poſtremo pronunciaſſe: *Huc quoque lux illa Græciæ, viſque Attica! Athenæ illæ artium altrices!* Deinde Hieronymum Delphinum urbi præficit; imperatque, uti arcem reficiat; ipſeque ibidem manere decrevit, quod & commoda hybernacula regio beatiſſima undique præberet; tum quoque maxime verebatur, ne hoſtis, ſi abeſſet, urbi agroque noceret. Ad hoc, ſi forte quippiam in Peloponneſo, quæ in conſpectu erat, rem turbaret, præſens adeſſe quaſi videbatur. Poſtremo etiam de Chalcide cogitanti, læta inde ac facilis navigatio. Armorum officinas ibi inſtituit; magnaque cura bellum apparavit; quoque ſtudioſius milites armarentur; inſigniuſque ornarentur, præmia propoſuit, quibus eos donaret, quorum ea in re egregia fuiſſet induſtria. Fecit idem in exercitationum generibus, ut qui cæteris præſtitiſſent, eos magnis afficeret muneribus. Hiſque effecit, ut & ornatiſſimum, & exercitatiſſimum haberet exercitum. Quæ dum ſedulo agitaret, crebri nuntii ſunt allati, pleraque barbaros terra, marique moliri: claſſem validius inſtruere: copias augere: undique auxilia arceſſere:

ſere:

ſere: populos ac nationes modis omnibus coër- 1687.
cere. Itaque intentus agere: cavere, nequo hoſtis adeſſet opportunus: crebra caſtella a Piræeo ad urbem ædificare; eaque milite, cæteriſque communire. Angelum Michaëlium Iſthmo Corinthiaco præponit; eique lectiſſimorum militum binas cohortes dat: Johannem Zagurium cum quinque navibus formæ celſioris ad Lechæum in ſtatione adeſſe jubet; cunctaque magna cura terra, marique adminiſtrare. Quibus, aliiſque, queis Cæſar, Sociique diſtinebant, Turca vehementer territus eſt; minimeque auſus, ea tum tentare, quæ pleraque animo ardebat.

XXIII. Eaque dum fiunt, calamitas interea 1688.
Zagurio evenit. Nempe repente tempeſtas ingens coorta, primum vi ſumma jactare cœpit: mox binas naves fluctibus obruit, hauſitque, unde vix ipſe, ægreque emerſit: nemo unus præterea: reliquæ huc diu, atque illuc actæ. Eodemque tempore ad Scyllæum, Argiæ promontorium, late quoque in noſtros mare deſævit: naveſque multum æquore jactatæ, quas milite refertas, commeatu, cæteriſque rebus, quæ bello utiles ſunt, Paullus Nanius, Senatus juſſu, Quæſtor, ad Imperatorem ducebat, merſæ pro-

pemo-

1688. pemodum, atque abſumtæ undarum vi omnes ſunt: binæ denique, rupibus, ſcopuliſque alliſæ, fœde diſperiere. Quæ Maurocenum, qui tum maxime in Chalcidem parabat, vehementer implicuerunt. Itaque anxius trahere: quoque modo quærere, qui ſuppleat, augeat, ornet; literiſque ac nuntiis a Patribus poſtulare. Eaque dum fiunt, rumor undique eſſe, nec ſatis clemens, Spartiatas, quorum ſupra meminimus, pleraque moliri, ne fidem ſervarent; Quibus permotus Imperator, Naupliam cum undecim triremibus continuo venit; ibique re cognita ac dijudicata, urbe atque arce excedere omnes jubet; ac primum quidem Argos perduci: tum qui viribus firmiores forent, ad octingentos, ad remum dat: pueros deinde, militibus permixtos, prædæ loco eſſe juſſit; mulieresque omnes, navibus impoſitas, in proxima barbarorum loca avehi, atque exponi. Eoque pacto Lacones, ad perfidiam ac nequitiam acuti, pœnas dedere.

XXIV. Venetiis interim diem ſuum obit Marcus Antonius Juſtinianus, qui magna gloria annos aliquot Principatum tenuit. Civitas continuo Maurocenum ſpectare: terra marique

proſpe-

proſpere facta prœlia deprædicare, advorſas ci- 1688.
catrices: auctam, conſervatam, geſtam perpetuo, gerique adhuc feliciſſime Rempublicam: optimæque optimum, fortiſſimumque præficiundum. Quibus factum eſt, ut nemo unus honorem petierit; ipſeque Princeps, abſens crearetur, omnium voluntate. Lectique mox Senatores duo, qui adſint in Conſilio, Hieronymus Grimanus Eques, & Laurentius Donatus; Viri rerum claritate, geſtiſque honoribus cæteris præſtantes. Factumque mox Senatuſconſultum, quo decernitur, ut cum his una, & Claſſis Præfecto de rebus conſultet: quodque pluribus videatur, id ratum ſit: biniſque diſſentientibus, ea prior ſententia, antiquiorque ſit, quam ipſe probet. Neque ita poſt multo inſignia dignitatis Senatus miſit, cum mandatis, ut Imperator quoque Princeps ſit; idque Civitatem vehementer cupere. Quæ ille, exercitu inſpectante, ſtatim cepit; plurimoſque dies ludi, pugnæque ludicræ fuere: diuque ac noctu militum gratulantium voces auditæ: dataque his prandia: obſonia præbita: pecuniaque affatim diſtributa. Ipſe deinde Chalcidem feſtinare: parare, niti; cæteroſque hortari, uti promti, paratique ſint. Eaque agitan-

1688. gitanti nuntiatur, Candiæ turbari, cædes, incendia, vaſtitatem eſſe. Præfectum; quique poteſtate rem curarent, obtruncatos: militeſque ac populares ferocius in dies minitari, niſi æs continuo penderetur militare. Ratuſque Maurocenus, urbem facile ea turba opprimi poſſe, eo ſtatim contendit: ante portum Claſſem explicat; ſeque dies aliquot oſtentat; maximeque hortatus, uti deficerent, minime obtinuit: maximeque invicem diſſidentibus, quod noluit, adventu ſuo profuit. Nam ubi apparuit, ira in ſuos iis ſtatim cecidit; celeriterque in noſtros verſa. Re igitur infecta, redit in Peloponneſum; ibique frequens Conſilia habere. Ac fuere tum, qui dictitarent, quam Chalcidem, duci prius copias Candiam oportere; amiſſaque recipi, quam nova tentari; diuque deliberatio tenuit. Tandem Chalcidem potius cuncti cenſent; quod, ſi potirentur, murum quaſi Peloponneſi, ac propugnaculum fore exiſtimarent. Itaque Maurocenus, quod ipſe antea paraverat, maximeque concupierat, cognita deinde Conſilii voluntate, properare: exercitum luſtrare: Claſſem expedire: diemque edicere. Venetiiſque interea ſubſidia adveniunt, quibus omnium animi alacriores facti.

XXV.

XXV. An deinde Athenæ diruerentur, quæſitum eſt; diuque dubitatum: quod denique placuit: cum retineri, niſi magnis copiis non liceret: juſſique Attici alio migrare, Salaminam, Æginam, vel Peloponneſum; ibique ſedes, agrique affatim attributi. Quique milites in arce fuerant, ad Iſthmi fauces Corinthii traducti, uti tuerentur. Omnibuſque paratis, tandem VIII. Idus Quinctiles vela dat. Claſſis fuit ornatiſſima, in qua naves varii generis ad ducentæ fuere: peditum millia quattuordecim: equites octingenti. Ad hoc Sociorum magna vis: voluntarii plurimi: remigum, lixarum, & calonum ingens numerus. Vixque oram ſolverat, cum læta Claſſis, laudes canere Virginis Patronæ, Deûmque ſponte preces expetere, ac veniam precari cœpit; dira barbaris: optimæ Reipublicæ, Principi, Imperatori, Mauroceno, ſibique felicia, ac fauſta omnia. Ille flens, gratoque animo ea accipere: benigne habere, laudare, ad rem hortari. Deinde Carolo, Biſano imperat, uti cum triremibus ſex, ac biremibus aliquot, naviget ad Caphareum: tum circumvehens Eubœam, ſeſe a Septemtrionibus Chalcidis littoribus inferat: id ipſum quoque Laurentio Vene- 1688.

 rio,

1688. rio, uti cum octo navibus majoris formæ. Ipſe cum reliquis recta ad Sinum Euboicum; ipſiſque initiis interea evenit, inſcitia gubernatoris, ut acta ad ſcopulum oneraria repente perſtringeretur; tum magna vi Septemtrio, diuque prohibuerit, ne Sunium promontorium obtineret, præterque navigaret; naveſque plurimæ, æquore jactatæ, huc illuc ferrentur. Quæ rei gerendæ triſte omen fecere. Ubi deinde deſævit, quieto mari, malacia eſſe, tardiorque navium celſiorum curſus. Quæ multimodis Imperatorem anxium habuerunt. Sed is tamen roſtratis fretus, copiiſque vehementer fidens, quæ inerant; iis unis, incitato navigio, prægredi, ac feſtinare. Oram denique cum tenuiſſet, quinque millibus paſſuum a Chalcide, nemine uno impediente, milites expoſuit. Continuo Conigſmarchium ſaltum ſpectare jubet, qua ingredi conſtituit; ipſeque triremi navi vectus, urbem ſubit; ſitumque ac munimenta ſedulo contemplatur. Poſtremo, cum Piſanus aliquot poſt diebus adveniſſet; cum hoc una, ac Venerio, & Conigſmarchio, eo fert: Sita eſt urbs extremo fere littore Eubœæ; anguſtoque freto a Bœotia divulſa. Forma eſt oblonga; quam alta quoque

mœnia

mœnia operis antiqui, firmaque undique com- 1688.
muniunt: foſſa item ingens, qua loca ſpectat
mediterranea; ac vallum recens ad littus uſque.
Mari alluitur parte alia, quod late ab alto pri-
mum patens, ſenſim deinde in fauces coit; ac
portus gemini ſpeciem præbet procul intuenti-
bus: maleque fida navibus ſtatio eſt; quod dies
ipſos duodeviginti accedit mare, deceditque,
ſenis quibuſque horis: quodque eſt reliqui lu-
naris curſus, huc illucque temere fretum vol-
vitur; illæque jactantur: identidem quoque tem-
peſtatibus affliguntur, quas venti ſubiti, vehe-
mentesque cient, qui cooriuntur ex montibus
altiſſimis, qui impendent. Iſque eſt locus, Eu-
ripus Chalcidicus a veteribus appellatus. Ibique
pons eſt, quo urbs jungitur continenti, paſſuum
quinquaginta longitudine: celſaque turris eo me-
dio; tum ab aditu trecentos paſſus, in Bœotiæ
extremo, rupes aſpera ac prærupta, cui nomen
eſt Carababa, qua ſumma barbari, nec ita mul-
to ante, arcem ædificarunt, ſpecie triangulari;
manuque ſemitam addidere, qua inde ad pon-
tem ire volentibus, redireque occulte liceret.
Eoque Maurocenus acceſſit cupidiſſime, ut non
tam caperet alienam, quemadmodum ipſe præ-

1688. dicare conſuevit, quam ſuam reciperet: quamque Veneti antea, ducentis, eoque amplius, annis, mancupio tenuiſſent. Urbi, quam tuerentur, militum lectiſſimorum ad ſex millia inerant: Muſtaphus præerat, vir conſilio præſtans, manuque fortis: acceſſerat Heibrahimus, virtute par, ingenio major, qui exercitum terreſtrem ductabat, qui aderat in Eubœa. Quibus copiis & oppidum defenſari, noſtroſque pelli poſſe facile exiſtimarunt. Itaque animus ingens, atque audax utrinque eſſe: diu noctuque quæ obſint: quæque proſint, commeditari: in promtu eſſe. Conſilium deinde Imperator habet, quo vi ne palam, an tectus vineis, aggeribuſque miles ageret, quæſitum eſt. Contraque ſentiente Mauroceno, vineis tandem vicit Conigſmarchius. Brevi itaque perfectæ munitiones: tormenta admota; eoque modo oppugnatio cœpta. Idque pridie Kalendas Sextiles factum eſt. Quæ poſtpaullo pleraque miſcuere. Namque militem, cum paluſtri loco fere ageret; ureretque ſol; vis morbi ingens repente invaſit; plurimique miſere diebus paucis interiere: ægri, ad quinque millia, inventi, in quibus Conigſmarchius. Urbs nihilominus fortiſſime oppugnari. Maurocenus

cenus adeſſe: hortari ſingulos: huc illucque vo- 1688.
litare: timidis animos addere; ſtrenuoſque exemplo ſuo, ac ſpe honorum incitare. At Muſtaphus pleraque moliri. Locis idoneis balliſtis, tormentiſque agere: milites benigne habere: coërcere. identidem rogare, uti contra latrones gentium, ſalutem ac libertatem armis tegant: impigre tueantur. Intus omnia abunde eſſe: arma, commeatus, reliqua bello utilia. Ad hoc in tempore magnas copias, quæ ſint auxilio, affuturas; quæque proxime ſint in Eubœa; quæque haud procul in Achaja. Quibus inflammati, magnis ubique animis cuncti aderant: imperanti dicto impigre audire; nulloque periculo terreri: crebro urbe erumpere; acriterque noſtrorum opera, identidem quoque ſtationes invadere: cædes, incendia, vaſtitatem facere. Ingens deinde in urbe lætitia fuit, poſtquam nunciatum eſt, copias, quæ fuerant in Achaja, armatorum ad ſex millia, quattuor circiter a Chalcide horarum itinere, ad Thebas conſediſſe: in tempore erumpentibus auxilio fore. Itaque univerſi, quaſi de victoria, gaudere. Ac tum Muſtaphus, manipulos circumiens, monere, uti priſtinæ virtutis memores ſint: ſeque, urbemque

1688. que defendant ab avaritia Venetorum. Cum iis certamen fore, quos ſæpe alibi vicerint, fuderintque; quos etiam paullo ante Creta ejecerint. Quæ ab Imperatore decuerint, omnia proviſa. Proinde parati, intentique eſſent, ſigno dato, egredi; & cum Achaicis una aggredi. Ad hoc viritim, uti quemque pecunia, aut honore extulerat, admonere beneficii, & aliis oſtentare. Denique, pro cujuſque ingenio, pleraque pollicendo, minitando, rogando, alium alia ratione ad facinus impellere.

XXVI. Interim bina millia peditum: equites quadringenti, ex Achaicis, noctu oppidum ingrediuntur; quibus Muſtaphus magis confirmatus, ad XVI. Kalendas Septembres, ante lucem, magna vi egrediens, noſtros invadit. Et alios quidem imprudentes; partim quoque, ut in tali tempore; ſomno ſopitos opprimit in prima acie. Tum magnis vocibus, & ululatu, quæ barbarorum conſuetudo eſt, longius invehi: cædere, obtruncare; luctuque & cadaveribus omnia complere. Quique noſtrorum in proximis ſtationibus aderant, his territi; ratique barbaros cuncta tenere; locum deſerunt; ac fugæ præcipites ſeſe dant. Illique, his pulſis, torrentis

Digitized by Google

tis modo ferri in aggeres, quibus tormenta, ac 1688.
balliſtæ inerant; ibique conari multimodis perrumpere ac ſupervadere. Quibus Janus Matthæus Bembus, qui eam partem curabat, fortiter ſe objicit; vimque tamdiu repreſſit, quoad Henricus Harcurtius cum voluntariis advenit, Corbonius cum equitatu; aliique mox; quibus decernentibus, brevi rerum facies mutatur: barbarique paulliſper a Præfecto ſuſtentati, poſtquam majore vi noſtri urgent, quingentis fere amiſſis, profugi diſcedunt. Eaque res Muſtaphi animum, ac ſpem vehementer minuit. At Maurocenus de oppugnatione maxime dubitare; quod vineis acta res, operibuſque, minime procedebat. Itaque anxius animi dies noctesque eſſe; vereri, dum res diutius trahebatur, ne repente interea aliquid accideret: diuque meditatus, poſtremo Conſilium advocat: omnibuſque præſentibus, in hunc fere modum ediſſeruit:

XXVII. *Sic ego arbitror, ſingulos & univerſos id plurimum optare, ut Chalcis brevi capiatur; idque aggeribus aliis viſum eſt, vi aliis. Illaque adhuc nil placuit; quæ ratio, præterquamquod abeſt noſtris rationibus, quam fœda, quam miſera, quam ſit inutilis, ipſi cernitis. Dies viginti jam conamur, quo tempore pluri-*

1688. *plurimi noſtrorum obtruncati, caſi alii, alii pulſi, urbe intacta atque incolumi. Niſi vehementer fallor, inanis iſtac oppugnatio eſt; pluſque oppugnantibus, quam hoſtibus obeſt; perniciemque ac peſtem, quæ dira adhuc fatigavit, dirior poſtpaullo conſequetur, conſumta æſtate, & copiis barbarorum augeſcentibus. Vi igitur agamus. Rogo per Deos, oro, obſecro ſingulos & univerſos: expergiſcimini: digna ſuſcipite viris fortibus. Armis freti cuncti continuo in vallum irrumpamus. Brevi momento hoc ſpero fore, uti potiamur; indeque in urbem per murorum ſtragem irruamus.* Auditus eſt magno ſilentio; eaque cum diceret, ardor quidam in oculis, viſque in ore, vultuque, & corporis jactatione apparuit. Cuncti itaque ejus verbis inflammati, exclamant, vi agendum; ſeque promtos paratoſque eſſe. Quiſque deinde in tabernacula digreſſi, dicta Imperatoris laudare: virtutem animi ad cœlum ferre. Rem confectam utique, prædicare, ſiquidem hortanti, ac pluribus urgenti initio paruiſſent. Igitur Maurocenus, cognita Conſilii voluntate, ſtatim edicit, uti milites poſtero die adſint univerſi: vallum invadendum. Iſque fuit dies ante diem XIII. Kalendas Septembres. Quæ poſtquam manarunt, cuncti alacres, erectique eſſe: alius mul-

multimodis alium hortari: ad virtutem accen- 1688.
dere: omnino cupere rem in manibus eſſe. Imperator omnia providere, parare, niti: uti nemini ulla res deſit, ſedulo curare. Qui primi adgrediantur: quique ſuccedant, imperare: ſubſidia item militum opportunis locis conlocare, qui ad ſubitos belli caſus auxilio ſint. Duces, tribunos militares, centuriones, quo quiſque loco agat, docere. Rebuſque omnibus, pro tempore atque loco, paratis, mane, cum vix luciſceret, ab quinque partibus, vallum exercitu circumvenit; deinde, ſigno dato, undique ſimul clamor ingens oritur. Neque ea res barbaros terret; infenſi, intentique ſine tumultu manent: prœlium incipitur. Noſtri, pro ingenio quiſque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare: evadere alii, alii ſuccedere, ac murum modo ſuffodere, modo ſcalis aggredi; omninoque obniti, uti potiantur. Contra ea oppidani in proximos ſaxa volvere; manu idemtidem trudere; ſudes quoque, pila, præterea pice, & ſulphure tædam miſtam, ardentia mittere; tormentiſque ac balliſtis cædem ingentem facere: ſicubi vallum aperiretur, eo, nihil trepidi, protinus corpora conglobati objicere, ne via ulla noſtris pa-

 teret.

1688. teret. Ac bis quidem hi, ſummum obtinentes, bis item magna ſtrage pulſi ſunt. Denique, tertium connixi, potiuntur. Primique Hetruſci; mox Illyrii; cæteri deinde, qua quiſque curabat, magna vi, atque impetu evaſere. Læti tum noſtri eſſe: magnis vocibus Imperatori, elatiſque pugionibus, de victoria gratulari; cum repente novum, atque ingens certamen exoritur: Namque ſpatio medio inter vallum, ac foſſam ita ſe barbari objecere, ut noſtros incurrentes undique funderent, atque fugarent. Muſtaphus & Heibraimus, in primis pugnantes, aderant; ſuoſque hortati, ad virtutem arrexerant. Quæ cum Corbonius animadverteret, magno animo ſtatim cum equitatu incurrit; eoſque brevi disjicit; atque in fugam convertit; tantuſque ardor, atque impetus fuit; ut curſu equites præverterent, & impedimento eſſent; quominus hoſtium ingens numerus ſeſe in urbem reciperet. Quo tempore cæſi alii; alii occiſi: plurimi, undique acti, ſeſe in mare præcipites dedere. Ac mille ea die & quingentos ferunt Turcarum cecidiſſe; in his Heibraimi filium: ex noſtris ad ducenti ſeptuaginta deſiderati; in quibus aliquot centuriones.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Sed tamen mœſtitia ingens in Claſ- 1688.
ſe, atque exercitu noſtro fuit, ubi de morte Hieronymi Garzonii nuntiatum eſt; plurimumque damni hujus unius caſu acceptum eſſe, Imperator queſtus eſt. Atque is quidem, admodum adoleſcens, ad bellum profectus eſt; multiſque egregie factis, ac facinoribus inclaruit. Alias deinde, aliaſque poteſtates nactus, Claſſis poſtremo præfecturam tenuit; qua adminiſtrata, cum incredibili quadam pugnandi cupiditate teneretur, ſua ſponte in exercitu remanſit. Qui cum animadverteret in extremum diſcrimen rem adductam eſſe, cum inter foſſam ac vallum, uti ſupra dictum eſt, noſtri decertarent, eo feſtinans, corpuſque ſuum objiciens, prœlium ſuſtinuit; pepulitque hoſtem. Mox cum paucis audacius progreſſus; genuque ictus glande, fortiſſime pugnare, innixus poplite, nequaquam deſtitit; donec, a barbaris circumventus, interficitur. Jamque in eo erant, ut caput abſcinderent, atque in urbem perferrent, ut ibi ſpectaculo, ac lætitiæ univerſis foret, cum Johannes Cicca, Tribunus militum, in tempore intervenit; iiſque, qui aderant, obtruncatis, ludibrio & contumeliæ cadaver ſubduxit; quod

 dein-

Digitized by Google

1688. deinde lecticula elatum, omni exercitu comitante, in colle proximo ſepultum eſt, quo loco ædes fuit; eaque inclita, Divis ſacra, Petro & Paullo. Minutaque eſt lætitia ejus diei, ubi apparuit, ad trecentos vulneratos; homines fortiſſimos, in his Turenium, Bonomettum, Ciccam, Furiettum, Lanojam, qui factis pluribus, ac virtute jamdiu inclaruerant. Sed propius quoque periculum fuit Michaël Maurocenus, Imperatoris fratris filius, qui paullo ante bellandi cupiditate, addiſcendæque militaris diſciplinæ, patruo magiſtro, incenſus, ad exercitum venerat. Iſque juventa, animique, atque ingenii vi pollens, cum in diſcrimine res foret, quamquam ab Imperatore propter ætatem prohibitus, clam ſe proripuit ex regia trireme, immiſcuitque ordinibus, audaciſſimeque pugnavit: quo tempore glande eſt veſtis perforata; ipſeque genu ictus. Signa pleraque militaria in vallo reperta ſunt: ad hoc ænea tormenta quattuor & quadraginta. Miles tum libens palam profiteri, ac prædicare, vere recteque initio Imperatorem monuiſſe, ſi vi adigeretur, paullo momento captum iri. Unius enim fere horæ ſpatio, facto impetu, cunctiſque irrumpentibus, potitum eſſe.

ſe. Idque Conigſmarchio nunciatum, qui adhuc 1688.
in lectulo a morbo jacebat, magnæ lætitiæ fuit; miſitque ſtatim, qui ſuo nomine de victoria Mauroceno gratularetur. Neque ita poſt multo ipſe in caſtra venit; majoreque utique animo, quam viribus, rebus omnibus interfuit, quæ tum agebantur. Sed labore tamen, operáque fatigatus, poſt paullo in morbum graviorem recidit; exſtinctuſque eſt vigeſimo poſt die. Quem Imperator diu deflevit; diuque doluit, exſtinctum eſſe. Vir certe fuit, bellandi arte ac diſciplina ſummis par: bonus conſilio, manuque fortis; quemque pericula vel maxima nunquam terruere; nuſquam etiam culpa male rem geſſit; ſi vineæ unæ ad Chalcidem demantur, quibus præfractius adhæſit. Hilari vultu fuit; lenique ſermone perpetuo uſus eſt; gravis quoque, cum res popoſcit, aut munus: carus uſque militi, acceptuſque, quocum dicta ac feria ſæpe miſcuit; quo factum eſt, ut multis lacrimis ſint proſecuti; queſtique ſint vehementer, hominem tum maxime ereptum, cum illius conſilium, atque induſtriam tempora iniquiora poſtularent.

XXIX. Hæc dum fierent, militum ad mille Germanorum manus Venetiis interea in caſtra ve-

1688. venit; quibus auctus Maurocenus, lætiore animo eſſe cœpit; cunctaque parat, quæ utilia viſa, ad urbem oppugnandam. Loca munit, inſtruit; ubi quiſque agat, imperat, centurio, aut tribunus. Quæ cum ſtrenue a noſtris aguntur, barbari magno impetu oppido egreſſi, diſturbare multimodis conantur. Nequicquam. Deinde munitionibus perfectis, læva ac dextra Maurocenus urbem adgreditur: tormentis pluribus diverberat: ollas quoque ignitas diu, noctuque conjicit. Neu a continente ſubſidii quicquam inferatur, balliſtas grandiores in littore conlocat, quibus arceat; pons item, cujus ſupra meminimus, infeſtior ſit. Ipſe frequens circumire: cuncta inviſere: unumquemque ad operam hortari: laudare ſtrenuos: ſegnes incuſare; honoreſque ſingulis pro merito, præmiaque polliceri. Vernedæ, machinarum peritiſſimo, quo loco ſtruat, in tempore mandare. Iſque, dum ſedulo, atque ex fide mandata efficit, trajectus glande, occumbit. Magna vi tamen noſtri urgere: opera adigere; brevique ab læva murum diſcutiunt. Id ubi Valerius Uber, Germanus, animadvertit, homo acer, & bellicoſus, ad ſpem potiundi erectus, Imperatorem adit; ac palam

pro-

Digitized by Google

profitetur; ſi milites fortiſſimi ad quinquaginta 1688.
attribuantur, ſibi id eſſe animi, ut per rimas
mœnia invadat; mox in ruina tamdiu locum
factorum, quoad ſequantur reliqui omnes, atque
irrumpant. Maurocenus hominem dilaudat:
quos ille malit, milites attribuit. Adhoc
promtiſſimis centurionum imperat, ut cum expeditiſſimis
præſto ſint. Uber brevi, quod receperat,
præſtat: magno animo rutubam tranſgreſſus,
paullo momento, in verticem evadit;
ſummoque jugo ſigna militaria bina figit. Quæ
barbaros, nihil tale tum opinantes, exterruere.
Itaque cunctis locis trepidare: mulieres parvos
liberos miſerari: ſenes, puerique vicem ſuam
miſere deflere; bello quoque meliores caſum
urbis lacrimare. At noſtri re læti, cuncti irruere,
inſilire; clamore ingenti barbaris exterritis
formidinem addere. Satis conſtat, urbem eo die
capi potuiſſe, niſi, quod ſæpe in talibus negotiis
accidit, nimia cupido, ac præpropera potiundi,
nocuiſſet. Milites, ſpe prædæ acti, nequaquam
ordinem ſervare: aſpernari imperia: ſecum
magis, ut quiſque primus, aut in primis ſupervadat,
quam cum hoſte pugnare. Suorum cuique
iraſci, odiſſe, qui prægredi niteretur. Eaque

1688. que dum fiunt; turbaque eſt immanis; urbs e manibus elapſa. Uber quoque in ſummo periculo fuit. Qui tamen veſtigium, quod ceperat, fortiſſime tenuit; neque inde, vel magno impetu hoſtium, pelli potuit.

XXX. Interea evenit, ut pyxis forte, cui vis pulveris exigua inerat, ſuccenderetur, quam miles ferebat. Eaque res cuniculi dirupturi noſtris continuo ſuſpicionem præbuit. Itaque trepidare, decedere, dilabi; aliique, ut in tali re ſolet fieri, alios loco pellere, ac deturbare; pluresque præcipites ire, aut agi. Ac tum barbari tumultum augere; magniſque ululatibus, & majore audacia in noſtros ferri. Cædes ingens eſſe; voceſque miſerorum morientium undique exaudiri. Uber tum, a barbaris, torrentis modo, undique irruentibus, actus pulſuſque, loco cedit; ſeque in tutum recipit. Hoc factum Venetos mox ad pericula ſubeunda ſegniores fecit. Quiſque pertimeſcere: neque, quod initio fuerat, ſatis impigre, aut fortiter, imperantibus dicto audire: cauſſari pleraque: aperte aliquando abnuere. Quæ cuncta morbi quoque, qui pestis inſtar, militem deinde invaſerant, vehementer auxerunt. Brevique viri duo clari, pa-

ce

Digitized by Google

ce belloque, interiere, Aurelius Marcellus, & 1688.
Matthæus Quirinus. Adhoc machinatores plerique omnes, ac fortiſſimi quique diſperierant, aut etiam cum periculo in lectulis jacebant. Itaque Maurocenus magnopere angi: perturbato animo dies nocteſque eſſe: conſulere, commeditari. Non facile reperire in tanta rerum omnium iniquitate, qui oppugnationem expediat. Sed nec aggeres ad foſſam exſtruere licebat; aquæ vi maxime præpediente; neque vero cuniculos; quod murus obſtaret, fornici impoſitus. Igitur, quod erat reliqui, hoc uno uti, ut majoribus balliſtis, propius collocatis, urbis mœnia diu, noctuque vexaret. Eaque procedebant, cum Hetruſci interea, plurima excuſantes, in his autumnum, domum diſcedunt; quos deinde Melitenſes ſunt conſecuti. Quæ Mauroceno plurimum moleſtiæ attulere; barbarique a perfugis hæc intelligentes, crebrius erumpere: ferociores adeſſe; non urbem modo defenſare; ſed caſtra quoque hoſtium, ac ſtationes invadere; nihilque quietis relinquere. Crevere poſtpaullo animi, ubi milites, ad bis mille quingenti, oppido ſunt illati. Tum vero magna vi, atque audacia tormentorum aggerem adorti, propemo-

1688. dum ſunt potiti. Prœliaque crebriora erant; eaque fœda, in quibus plerique ex noſtris, acerrime pugnantes, cecidere; in his Corbonius, cujus ſupra meminimus; qui fortiſſime digladiatus, dum majore quodam animo in vineis agit, pila ictus ferrea, tormento ejecta, repente eliſus, diſcerptuſque eſt; letho tam miſero vir indignus; quique a virtute carus uſque fuit; acceptuſque militi & Imperatori; quoque nemo unus promtior in periculis adeundis unquam fuit. Æneas quoque Ripetta, cujus perpetuo bello inſignis, præclaraque fuit opera, vulneratus.

XXXI. Atque, autumno quidem deteriore, aſperior omnino erat oppugnatio. Eaque trahi cum diutius nequiret; Maurocenus propere cunctos ſenatorii ordinis arceſſiri jubet; eorum, atque aliorum, quos idoneos ducebat, aut etiam jus erat, Conſilium habet. Ita, more majorum, ex Conſilii decreto, urbem ſumma vi, cunctiſque viribus adgreditur. Læva militibus Italicis, ac Germanis; dextra cæteris partem magnam, qui ſupererant, ac voluntarios in ſubſidiis collocat. Adhoc, quo ſpecies amplior copiarum foret, ac terror major oppidanis: ſimul, pro

re,

Digitized by Google

re, ac tempore, opera juvarent, claſſiarios, magnamque remigum vim exponit. Tum nequa ſubſidia ferrentur a continenti, Alexandrum Bonum, Sinus Adriatici Præfectum, ad Bœotiæ littora; qua eſt pons ad urbem, parte altera agitare jubet cum decem triremibus; porro altera Venerium navigiis aliquot, quæ milite, aliiſque utilibus ornarat; iiſque præcipit, ut ſtudium deſcenſionis vehementer ſimulent. Deinde, priuſquam pugnæ ſignum daret, hujuſcemodi Orationem ad milites habuit: 1688.

XXXII. *Probe novi, milites; ſæpe etiam periculo didici, verba virtutem non addere; multaque oratione Imperatoris exercitum ex timido, aut ignavo, nequaquam ſtrenuum, aut fortem fieri. Qua vis, qui vigor, quique ardor cujuſque animo moribus, vel ingenio ineſt; is ipſe, cuicuimodi eſt, in bello patere ſolet. Quem neque res, neque laus movet; neque excitant pericula, fruſtra hominem hortere: formido animi auribus officit. Placuit tamen, quo pauca monerem, vos advocare. Ac primum quidem virtutis, induſtriæque veſtræ, rogo, ut memores nunc ſitis, qua a bello Cretico: qua Peloponneſio, maximi per cæteras gentes, et clari eſtis; qua per hos dies, barbaris profligatis, munimenta hæc cepiſtis, qua tenemus. Videte, qua robur*

Digitized by Google

1688. *animi, & audacia: qua virtus inclita brevi momento patrare potuerit. Vallum captum, quod natura loci, atque arte firmum: quod recens; quod valens milite, nullis mortalium viribus expugnari, aut capi unquam poſſe videbatur. Virtuti veſtra omnia ceſſere. Hanc, per Deum, milites, retinete: hac nunc ipſa utimini: hac in mœnia irrumpite. Sed videte jam, quo in loco res noſtra ſint. Hoſtium copia haud longe abſunt; ſi moramur, dies augebit: nos in diſcrimine erimus. Deinde anni tempora, diutius in his locis, ſi maxime animus ferat; frumenti quoque, & aliarum rerum neceſſitas prohibet. Quapropter moneo, oro, quaſoque, uti forti animo, paratoque ſitis, &, cum prælium inibitis, memineritis, divitias, decus, gloriam in dextris veſtris portare. Rem quarimus, qua noſtra diu fuit; quam Turca vi ereptam, vi quoque, injuriaque tenet. Eja agite, recipite; reddite juſto Domino. Animus, atas, virtus veſtra ſpem certam faciunt. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt. Quaque hora Chalcide potiemur, eadem opulentiſſimo non modo Eubœæ regno, ſed his etiam potiemur, qua Ionio & Ægeo mari latius alluuntur. Sin metu ceſſerimus, cuncta nobis adverſa erunt; quaque adhuc parta ſanguine & vulneribus, brevi dilabentur.*

XXXIII. Hæc ubi dixit, cuncti exclamant:

Qua

Quæ vellet, imperaret. Ipſeque poſtridie: is fuit 1688.
dies ante diem IV. Idus Octobres: ſigna mane canere jubet; inſtructoſque militum ordines vallo ad foſſam educit. Tum continuo labrum foſſæ, mœnibus objectum, cuniculo evertit; itaque ejus partem opplet: mox, quod fuit reliqui, faſciculis injectis ſarmentorum: qua ſtatim cuncti, veluti per pontem, irruentes, urbem adoriuntur. Atque Itali quidem, ac Germani, læva, uti ſupra dictum eſt, nitentes, poſtquam altiora mœnia, quam ut ſupervadant: barbaroſque ſupra caput agentes; ſaxaque, atque ignes, ac ſagittas in ſubjectos demittere vident; cædemque ingentem ſuorum fieri; alio repente impetum vertunt; ac turrim occupant, quæ haud longe aberat. Id oppidani cum animadvertiſſent: ſimul urbem in diſcrimine fore, ſi locus a noſtris diutius obtineretur, eo advolant partem magnam; acrique facto certamine, pellunt. At Maurocenus, cæterique qui poteſtates tenebant, ignaviam multimodis, atque inertiam accuſantes; ſimulque infamiam, & ignominiam pluribus adaugentes; magnis vocibus, ac pugione idemtidem ad jugulum intento, rurſus eodem adigunt; illique audacius connixi invadunt;

ac

Digitized by Google

1688. ac ſecundum potiuntur. Quo facto, gaudium ingens repente exortum. Milites, alius alium, læti appellant: acta edocent atque audiunt. Sua quiſque facta fortia ad cœlum fert. Nempe rerum humanarum hoc ipſum ingenium eſt: in victoria vel inerti atque ignavo gloriari licet; res adverſæ vel fortiſſimos detrectant. Dextra quoque ſtrenue certabatur; proſpereque ita res fiebat, ut ſpes certa eſſe videretur urbis capiundæ, cum paullo momento fortuna omnia vertit. Ex quo facile apparet, qui in bello agunt, non minus dubia re, atque ancipiti periclitari, quam qui in ſalo navigant, quibus & fluctus ipſi, ſævæque tempeſtates, & quicquid diſcriminis, aut periculi nomen habet, perpetuo minitantur. Sed eo revertamur. Primum, qui læva egere, turris altitudine territi, quæ non facilem præbebat deſcenſum: barbaris deinde, quorum ingens multitudo ea ima conſederat; picemque ac tædam, & utres pulveris paraverat, quæ incenderet, ſi in oppidum ſe demitterent; repente rem deſeruere. Tum, qui dextra, quamquam in muros ſummos evaſerant; eoſdemque tenebant; tamen vallo prohibiti, quod introrſus hoſtes ædificarant; his quoque plurimis perterrefacti,

cti,

Digitized by Google

ꝺi, qui conglobati aderant, ac jacula mittebant; 1688.
timidius initio certare: mox dilabi, poſtquam invadentibus; vocibuſque atque hortatu Antonii Medini, qui præerat; quique præibat; ſtrenue pugnantibus, Johannes Aloyſius Magnanimus, ſive formidine, ſive ignavia, minime opem tulit: quod tamen præceperat Imperator. Eoque pacto dextra, lævaque ab opera, conatuque omni ceſſatum eſt. Atque hic exitus oppugnationis fuit, quæ magnis animis, viribuſque cœpta; conſilio ac ſapientia deinde adminiſtrata, quem urbis fructum capere debuit, eo tamen caruit. In ea noſtri milites ad mille periere: ad ſexcenti vulnerati. In his Johannes Fridericus Sparus, qui ordines ducebat.

XXXIV. Per idem tempus in magno diſcrimine naves noſtræ triremes fuere, quæ ventis, æſtuque ingenti huc, illuc actæ; pulſæque mox urbem proxime, male a barbaris multatæ ſunt; multique militum, ac remigum aut occiſi, aut ſauciati. Quæ ſummo dolori Imperatori fuere; quem morbi quoque, quibus magna pars militum conſumta fuerat, plurimum auxere. Itaque animi anxius trahere: diu noctuque quærere, commeditari, qui rem expediat, atque

oppi-

1688. oppido potiatur. Ipſe æger jamdiu; item cæteri partem magnam, qui curabant, aut poteſtates tenebant. Sæpe ſolus: alios etiam idemtidem conſultare. Denique hoc ſtatuit, ut per hiemem ab urbe ne diſcedat. Tabernacula igitur, & pelles imperare: cuncta providere: ſingulos, univerſos in concione hortari: oſtendere adſidendo, impedimenta maxima oppidanis parari, quominus aut muri, aut reliqui munimenti quicquam reficiant: omnia præterea intus deleta eſſe, ac ruinis ſtrata. Vere primo urbe potituros. Quæ etſi vera erant; ac perfugæ nuntiarant, Germani tamen reſiſtere: omnibus adverſari: negitare, ſe in opera ac labore per hiemem futuros: ea omnino lege auxilio veniſſe, ut per id tempus quieta hibernacula haberent. Neque propoſito dimoveri potuerunt. Quibus Maurocenus coactus eſt ſpem dimittere urbis capiundæ. Itaque XIII. Kalendas Novembres inde ſolvit; brevique cum omni Claſſe Naupliam venit; ibique hiemare decrevit. Quæ poſtquam Venetiis cognita ſunt, ſummæ triſtitiæ Civitati fuere, quæ læta, ac fauſta cuncta, annos ipſos quatuor, audire conſueverat. Sed Patres moniti per litteras ab Imperatore; qui quæque res ge-

ſta

ſta foret; qui labor animi, quæ ſollicitudo fuiſ- 1688.
ſet; quique fortuna ſæva reſtitiſſet; datis litte-
ris ſolari: jubere, ut bono animo ſit. Quæ e-
gerit, quæ facere voluerit, probari ſibi omnia.
Adhoc hortari, ut apud exercitum manere ve-
lit. Eum eſſe Maurocenum, cui Civitas omnia
optet; cui uni, quam cæteris, Claſſem, impe-
rium, armaque commendata malit. Statua de-
inde Conigſmarchio decreta, quæ in navalium
veſtibulo poneretur; cæteriſque Senatuſconſulto
præbita præmia, pro cujuſque merito.

XXXV. Maurocenum deinde, Naupliæ mo-
rantem, morbus acrior invaſit; de quo diu quo-
que multi dubitarunt. Idque ubi Patres cogno-
vere, Hieronymum Cornelium, qui Illyricum 1689.
obtinebat, eo celerrime tranſmittere jubent, ut,
ſiquid de illo fieret, ſummæ præeſſet. Sed va-
litudine poſt paullo aliquantulum recepta, cum
ver adeſſet, Conſilium indicit, in quo brevi o-
ſtendit, neminem impræſentiarum de Chalcide
oppugnanda cogitare debere: Ad rem tantam
ſuſcipiendam pleraque deeſſe; ſibique optimum
factu videri, ſi Epidaurum Limeram aggrede-
rentur, quæ urbs una adhuc tota Peloponneſo
a barbaris teneretur. Re probata, eodem ferri

1689. Sita urbs eſt celſa in rupe, atque aſpera, ad Sinum Argolicum; ac Malea promontorio haud longe abeſt. Mari undique alluitur; oræque Laconicæ, unde abeſt paſſus ſexaginta, ponte jungitur firmiſſimo ex lapide quadrato. Viaque ad urbem una eſt; eademque anguſta, ac maxime prærupta; quaque repere binis dumtaxat licet peditibus in frontem. Obſidet, oppugnat; brevique intelligit, unam eſſe capiundi rationem, ſi fame adigat ad deditionem. Igitur milites continuo ita diſponit, ut egredi, aut ingredi nemini liceat. Caſtra atque opera curat diligenter. Frequens circumit, invidet. Pontem deinde, cujus ſupra meminimus, tormentis disjicit; quo loco balliſtas plures conſtituit, unde ollas in urbem incendiarias conjicit. Eoque modo omnia procedere; ſpes certa eſſe, ut brevi potiatur. Hæc dum fierent, rumor interea venit, Hieronymum Cornelium cum magnis copiis ad exercitum venire. Itaque, quo tutior navigatio foret, obviam Auguſtinum Sagredum mittit cum duodecim triremibus: ad hoc Laurentium Venerium cum quatuor navibus celſioris formæ. Ac Sagredus quidem, cum ad Inſulas Oenuſas perveniſſet, naves ſexdecim, quæ Afrorum e-

rant,

rant, navigare videt. Has initio ad Cornelium 1689.
pertinere exiſtimans, triremes binas eo mittit; quarum alteri Petrus Donatus præerat, Henricus Papaſavius alteri. Illique proxime cum veniſſent, Afras eſſe intelligunt. Tum pugna eſſe. Afri inſequi, noſtri ſe fugæ dare. Denique Donatus graviter vulneratur; cumque navi una a barbaris capitur ipſe, & Franciſcus frater. Neque ita poſt multo Cornelius venit; quo tempore Maurocenus oppidanorum biremes aliquot incendit. Deinde cum animadverteret, ſatis magnam ſibi eſſe navium copiam, e re fore ratus, ſi per id tempus alia quoque tentaret, Claſſem dividit; ac parte altera ad urbem relicta; altera in Ægeum ipſe fertur, ut cum Turca depugnaret, quem circum curſare, ac mare infeſtius habere, fama erat. Vixque Sinu Argolico exierat, cum repente eum morbus invadit. Igitur ad exercitum continuo redit; jacuitque dies aliquot in vitæ diſcrimine. Spes deinde eſſe valitudinis recipiendæ; eaque lente mox recepta eſt; ſed ita ut appareret, parem deinceps nequaquam fore belli laboribus, ac moleſtiis perferendis. Claſſem itaque Cornelio tradit, optime inſtructam. Ipſe Idibus Septembribus inde

Digitized by Google

1689. proficiſcens, IV. Idus Januarias Venetias venit. Eique continuo obviam Senatus fit; navique regia, quam Bucentaurum appellant, excipit; atque in Urbem deducit. Civitas tum læta eſſe, atque agere: Mauroceno multimodis gratulari; fauſta precari ac felicia omnia.

XXXVI. Hoc anno diem ſupremum obiit Innocentius hujus nominis Pontifex XI. vir vitæ bonitate, juſtitia, prudentia, animique fortitudine veteribus Pontificibus par, qui Eccleſiam honeſtarunt. In ejus locum Petrus Othobonus lectus eſt; iſque Alexander VIII. appellatus. Qui Venetus Venetam Rempublicam perpetuo dilexit; ac pluribus ornavit; tantique fecit Maurocenum, ut ſummis quibuſque Imperatoribus æquaret; eumdemque cuſtodem Religionis, ac defenſorem inclitum appellaret. Itaque, neque ita poſt multo quam obtinuit dignitatem, Enſem & Galerum ad eum miſit, qui magnis Ducibus a Romanis Pontificibus mitti conſuevit, cum litteris, quarum exemplum infra ſcriptum eſt:

ALE-

ALEXANDER PAPA VIII. 1690.

Dilecto Filio Nobili Viro
Franciſco Mauroceno
Duci Reipublicæ Venetiarum.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ea quæ Chriſtianæ Reipublicæ, ad amplificationem & gloriam, adverſus immaniſſimum ejuſdem hoſtem, terra marique ſtrenue egit Nobilitas tua, tam multa, ac tam præclara ſunt, ut peculiarem quamdam a nobis, quos in primis afficiunt præfata Reipublicæ incrementa, gratæ voluntatis reſponſionem plane repoſcant. Quamobrem officii noſtri partes impleturi, Enſem Galeamque, quibus Prædeceſſores noſtri, Romani Pontifices inclytos ipſiuſmet Reipublicæ Athletas inſignire conſueverunt, dextera nos, ac capiti tuo libentiſſime addiximus, exiſtimationis, quam de virtute, ac fortitudine tua gerimus, ſplendidum & manſurum documentum. Utrumque munus, Apoſtolicis benedictionibus abunde ditatum, a Venerabili fratre Joſepho, Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, Nuntio noſtro, Nobilitati tuæ rite tradendum, deferet iſtuc dilectus filius Michael Angelus de Comitibus, Cubicularius noſter, quem præſtantes virtutes, atque animi dotes, familiæ, ex qua ortus eſt, fulgorem æquantes, admodum commendant. Præcipuis autem hu-

1690. *humanitatis ſignificationibus excipiendum eumdem a te pro explorato habentes, non omittemus nos rogare illum, a quo bona cuncta procedunt, ut Apoſtolicam benedictionem, quam Nobilitati tuæ, univerſæque Venetiarum Reipublicæ, quæ tantum Ducem ſortita eſt, ex omni cordis noſtri ſenſu impertimur, uberi beneficentiæ ſuæ largitate cumulatam velit.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris die VIII. Aprilis 1690.

Pontificatus noſtri anno I.

XXXVII. Grata Civitati Pontificis voluntas fuit, munuſque. Itaque ne ſtudio vinceretur, pleraque erga Pontificis propinquos benevole, ac liberaliter fecit. Qua in re dignitatis, priſcique moris rationem habuit, ut benignitatem benignitate ſuperaret; & Principis optime meriti, cujus virtutem, præclaraque facinora a Pontifice Optimo honeſtari, honeſtum, præclarumque exiſtimabat. Eaque dum Venetiis fiunt, interea evenit, ut Epidaurus Limæra dederetur, quam fame una, atque inopia confectam Cornelius cepit; eaque obſidendi ratione, oppugnandique, quam Maurocenus præceperat. Neque ita poſt multo Elyma, & Aulone potitus eſt. Quibus rebus alacrior factus, cum de Dyrrachio

chio cogitaret; multaque moliretur, repente 1690.
morbo graviore implicitus deceſſit. Magni utique nominis Imperator, magnæque virtutis; qui egregia pleraque bello geſſit; quem milites; quem Græcia univerſa; quem Veneta Civitas plurimi fecit; plurimumque dilexit. Qui filium reliquit, ſui ſimillimum Catharinum, cujus deinde plures meminerunt. In ejus locum poſtpaullo ſuffectus Dominicus Mocenicus, acer vir, famaque æquabili & inviolata. Cui tamen Cydon, reſque ibidem geſtæ multum offuere; his illiſque pleraque obtrectantibus. Itaque Vicetiæ Prætor lectus eſt; ac pro amplo minor dictus, datuſque eſt magiſtratus. Hiſque factum eſt, ut legi novum Imperatorem Civitati placuerit. Moveratque id maxime omnium voluntates, quod rerum proſperitas, ac fortuna illa læta, quæ Mauroceno imperium obtinente, fuerat conſecuta; ubi deinde ille minime tenuerat, veluti pertæſa, deſtituerat.

XXXVIII. Igitur de hoc ſermo eſſe cunctis locis. Dici palam, prædicari, unum omnium optimum, fortiſſimumque eſſe Maurocenum: Principem bello præfici: creari Imperatorem oportere. Eidemque pulcrum, præclarumque ad 1691.

fa-

1688. ac ſecundum potiuntur. Quo facto, gaudium ingens repente exortum. Milites, alius alium, læti appellant: acta edocent atque audiunt. Sua quiſque facta fortia ad cœlum fert. Nempe rerum humanarum hoc ipſum ingenium eſt: in victoria vel inerti atque ignavo gloriari licet; res adverſæ vel fortiſſimos detrectant. Dextra quoque ſtrenue certabatur; proſpereque ita res fiebat, ut ſpes certa eſſe videretur urbis capiundæ, cum paullo momento fortuna omnia vertit. Ex quo facile apparet, qui in bello agunt, non minus dubia re, atque ancipiti periclitari, quam qui in ſalo navigant, quibus & fluctus ipſi, ſævæque tempeſtates, & quicquid diſcriminis, aut periculi nomen habet, perpetuo minitantur. Sed eo revertamur. Primum, qui læva egere, turris altitudine territi, quæ non facilem præbebat deſcenſum: barbaris deinde, quorum ingens multitudo ea ima conſederat; picemque ac tædam, & utres pulveris paraverat, quæ incenderet, ſi in oppidum ſe demitterent; repente rem deſeruere. Tum, qui dextra, quamquam in muros ſummos evaſerant; eoſdemque tenebant; tamen vallo prohibiti, quod introrſus hoſtes ædificarant; his quoque plurimis perterrefacti,

ſti, qui conglobati aderant, ac jacula mittebant; 1688.
timidius initio certare: mox dilabi, poſtquam invadentibus; vocibuſque atque hortatu Antonii Medini, qui præerat; quique præibat; ſtrenue pugnantibus, Johannes Aloyſius Magnaninus, ſive formidine, ſive ignavia, minime opem tulit: quod tamen præceperat Imperator. Eoque pacto dextra, lævaque ab opera, conatuque omni ceſſatum eſt. Atque hic exitus oppugnationis fuit, quæ magnis animis, viribuſque cœpta; conſilio ac ſapientia deinde adminiſtrata, quem urbis fructum capere debuit, eo tamen caruit. In ea noſtri milites ad mille periere: ad ſexcenti vulnerati. In his Johannes Fridericus Sparus, qui ordines ductabat.

XXXIV. Per idem tempus in magno diſcrimine naves noſtræ triremes fuere, quæ ventis, æſtuque ingenti huc, illuc actæ; pulſæque mox urbem proxime, male a barbaris mulctatæ ſunt; multique militum, ac remigum aut occiſi, aut fauciati. Quæ ſummo dolori Imperatori fuere; quem morbi quoque, quibus magna pars militum conſumta fuerat, plurimum auxere. Itaque animi anxius trahere: diu noctuque quærere, commeditari, qui rem expediat, atque

oppi-

Digitized by Google

1688. oppido potiatur. Ipſe æger jamdiu; item cæteri partem magnam, qui curabant, aut poteſtates tenebant. Sæpe ſolus: alios etiam idemtidem conſultare. Denique hoc ſtatuit, ut per hiemem ab urbe ne diſcedat. Tabernacula igitur, & pelles imperare: cuncta providere: ſingulos, univerſos in concione hortari: oſtendere adſidendo, impedimenta maxima oppidanis parari, quominus aut muri, aut reliqui munimenti quicquam reficiant: omnia præterea intus deleta eſſe, ac ruinis ſtrata. Vere primo urbe potituros. Quæ etſi vera erant; ac perfugæ nuntiarant, Germani tamen reſiſtere: omnibus adverſari: negitare, ſe in opera ac labore per hiemem futuros: ea omnino lege auxilio veniſſe, ut per id tempus quieta hibernacula haberent. Neque propoſito dimoveri potuerunt. Quibus Maurocenus coactus eſt ſpem dimittere urbis capiundæ. Itaque XIII. Kalendas Novembres inde ſolvit; brevique cum omni Claſſe Naupliam venit; ibique hiemare decrevit. Quæ poſtquam Venetiis cognita ſunt, ſummæ triſtitiæ Civitati fuere, quæ læta, ac fauſta cuncta, annos ipſos quatuor, audire conſueverat. Sed Patres moniti per litteras ab Imperatore; qui quæque res geſta

ſta foret; qui labor animi; quæ ſollicitudo fuiſ- 1688.
ſet; quique fortuna ſæva reſtitiſſet; datis litte-
ris ſolari: jubere, ut bono animo ſit. Quæ e-
gerit, quæ facere voluerit, probari ſibi omnia.
Adhoc hortari, ut apud exercitum manere ve-
lit. Eum eſſe Maurocenum, cui Civitas omnia
optet; cui uni, quam cæteris, Claſſem, impe-
rium, armaque commendata malit. Statua de-
inde Conigſmarchio decreta, quæ in navalium
veſtibulo poneretur; cæteriſque Senatuſconſulto
præbita præmia, pro cujuſque merito.

XXXV. Maurocenum deinde, Naupliæ mo-
rantem, morbus acrior invaſit; de quo diu quo-
que multi dubitarunt. Idque ubi Patres cogno-
vere, Hieronymum Cornelium, qui Illyricum 1689.
obtinebat, eo celerrime tranſmittere jubent, ut,
ſiquid de illo fieret, ſummæ præeſſet. Sed va-
litudine poſt paullo aliquantulum recepta, cum
ver adeſſet, Conſilium indicit, in quo brevi o-
ſtendit, neminem impræſentiarum de Chalcide
oppugnanda cogitare debere. Ad rem tantam
ſuſcipiendam pleraque deeſſe; ſibique optimum
factu videri, ſi Epidaurum Limeram aggrede-
rentur, quæ urbs una adhuc tota Peloponneſo
a barbaris teneretur. Re probata, eodem fert;

 Sita

1689. Sita urbs eſt celſa in rupe, atque aſpera, ad Sinum Argolicum; ac Malea promontorio haud longe abeſt. Mari undique alluitur; oræque Laconicæ, unde abeſt paſſus ſexaginta, ponte jungitur firmiſſimo ex lapide quadrato. Viaque ad urbem una eſt; eademque anguſta, ac maxime prærupta; quaque repere binis dumtaxat licet pedibus in frontem. Obſidet, oppugnat; brevique intelligit, unam eſſe capiundi rationem, ſi fame adigat ad deditionem. Igitur milites continuo ita diſponit, ut egredi, aut ingredi nemini liceat. Caſtra atque opera curat diligenter. Frequens circumit, invidet. Pontem deinde, cujus ſupra meminimus, tormentis disjicit; quo loco balliſtas plures conſtituit, unde ollas in urbem incendiarias conjicit. Eoque modo omnia procedere; ſpes certa eſſe, ut brevi potiatur. Hæc dum fierent, rumor interea venit, Hieronymum Cornelium cum magnis copiis ad exercitum venire. Itaque, quo tutior navigatio foret, obviam Auguſtinum Sagredum mittit cum duodecim triremibus: ad hoc Laurentium Venerium cum quattuor navibus celſioris formæ. Ac Sagredus quidem, cum ad Inſulas Oenuſas perveniſſet, naves ſexdecim, quæ Afrorum e-

rant,

rant, navigare videt. Has initio ad Cornelium pertinere exiſtimans, triremes binas eo mittit; quarum alteri Petrus Donatus præerat; Henricus Papafavius alteri. Illique proxime cum veniſſent, Afras eſſe intelligunt. Tum pugna eſſe. Afri inſequi, noſtri ſe fugæ dare. Denique Donatus graviter vulneratur; cumque navi una a barbaris capitur ipſe, & Franciſcus frater. Neque ita poſt multo Cornelius venit; quo tempore Maurocenus oppidanorum biremes aliquot incendit. Deinde cum animadverteret, ſatis magnam ſibi eſſe navium copiam, e re fore ratus, ſi per id tempus alia quoque tentaret, Claſſem dividit; ac parte altera ad urbem relicta; altera in Ægeum ipſe fertur, ut cum Turca depugnaret, quem circum curſare, ac mare infeſtius habere, fama erat. Vixque Sinu Argolico exierat, cum repente eum morbus invadit. Igitur ad exercitum continuo redit; jacuitque dies aliquot in vitæ diſcrimine. Spes deinde eſſe valitudinis recipiendæ; eaque lente mox recepta eſt; ſed ita ut appareret, parem deinceps nequaquam fore belli laboribus, ac moleſtiis perferendis. Claſſem itaque Cornelio tradit, optime inſtructam. Ipſe Idibus Septembribus inde 1689.

1689. proficiſcens, IV. Idus Januarias Venetias venit: Eique continuo obviam Senatus fit; navique regia, quam Bucentaurum appellant, excipit; atque in Urbem deducit. Civitas tum læta eſſe, atque agere: Mauroceno multimodis gratulari: fauſta precari ac felicia omnia.

XXXVI. Hoc anno diem ſupremum obiit Innocentius hujus nominis Pontifex XI. vir vitæ bonitate, juſtitia, prudentia, animique fortitudine veteribus Pontificibus par, qui Eccleſiam honeſtarunt. In ejus locum Petrus Othobonus lectus eſt; iſque Alexander VIII. appellatus. Qui Venetus Venetam Rempublicam perpetuo dilexit; ac pluribus ornavit; tantique fecit Maurocenum, ut ſummis quibuſque Imperatoribus æquaret; eumdemque cuſtodem Religionis, ac defenſorem inclitum appellaret. Itaque, neque ita poſt multo quam obtinuit dignitatem, Enſem & Galerum ad eum miſit, qui magnis Ducibus a Romanis Pontificibus mitti conſuevit, cum litteris, quarum exemplum infra ſcriptum eſt:

ALE-

ALEXANDER PAPA VIII. 1690.

Dilecto Filio Nobili Viro

Franciſco Mauroceno

Duci Reipublicæ Venetiarum.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ea quæ Chriſtianæ Reipublicæ, ad amplificationem & gloriam, adverſus immaniſſimum ejuſdem hoſtem, terra marique ſtrenue egit Nobilitas tua, tam multa, ac tam præclara ſunt, ut peculiarem quamdam a nobis, quos in primis afficiunt præfata Reipublicæ incrementa, gratæ voluntatis reſponſionem plane repoſcant. Quamobrem officii noſtri partes impleturi, Enſem Galeamque, quibus Prædeceſſores noſtri, Romani Pontifices inclytos ipſiuſmet Reipublicæ Athletas inſignire conſueverunt, dexteræ nos, ac capiti tuo libentiſſime addiximus, exiſtimationis, quam de virtute, ac fortitudine tua gerimus, ſplendidum & manſurum documentum. Utrumque munus, Apoſtolicis benedictionibus abunde ditatum, a Venerabili fratre Joſepho, Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, Nuntio noſtro, Nobilitati tuæ rite tradendum, deferet iſtuc dilectus filius Michael Angelus de Comitibus, Cubicularius noſter, quem præſtantes virtutes, atque animi dotes, familiæ, ex qua ortus eſt, fulgorem æquantes, admodum commendant. Præcipuis autem hu-

Digitized by Google

1690. *humanitatis ſignificationibus excipiendum eumdem a te pro explorato habentes, non omittemus nos rogare illum, a quo bona cuncta procedunt, ut Apoſtolicam benedictionem, quam Nobilitati tuæ, univerſæque Venetiarum Reipublicæ, quæ tantum Ducem ſortita eſt, ex omni cordis noſtri ſenſu impertimur, uberi beneficentia ſua largitate cumulatam velit.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris die VIII. Aprilis 1690.

Pontificatus noſtri anno I.

XXXVII. Grata Civitati Pontificis voluntas fuit, munuſque. Itaque ne ſtudio vinceretur, pleraque erga Pontificis propinquos benevole, ac liberaliter fecit. Qua in re dignitatis, priſcique moris rationem habuit, ut benignitatem benignitate ſuperaret; & Principis optime meriti, cujus virtutem, præclaraque facinora a Pontifice Optimo honeſtari, honeſtum, præclarumque exiſtimabat. Eaque dum Venetiis fiunt, interea evenit, ut Epidaurus Limæra dederetur, quam fame una, atque inopia confectam Cornelius cepit; eaque obſidendi ratione, oppugnandique, quam Maurocenus præceperat. Neque ita poſt multo Elyma, & Aulone potitus eſt. Quibus rebus alacrior factus, cum de Dyrrachio

chio cogitaret; multaque moliretur, repente *1690.*
morbo graviore implicitus deceſſit. Magni utique nominis Imperator, magnæque virtutis; qui egregia pleraque bello geſſit; quem milites; quem Græcia univerſa; quem Veneta Civitas plurimi fecit; plurimumque dilexit. Qui filium reliquit, ſui ſimillimum Catharinum, cujus deinde plures meminerunt. In ejus locum poſtpaullo ſuffectus Dominicus Mocenicus, acer vir, famaque æquabili & inviolata. Cui tamen Cydon, reſque ibidem geſtæ multum offuere; his illiſque pleraque obtrectantibus. Itaque Vicetiæ Prætor lectus eſt; ac pro amplo minor dictus, datuſque eſt magiſtratus. Hiſque factum eſt, ut legi novum Imperatorem Civitati placuerit. Moveratque id maxime omnium voluntates, quod rerum proſperitas, ac fortuna illa læta, quæ Mauroceno imperium obtinente, fuerat conſecuta; ubi deinde ille minime tenuerat, veluti pertæſa, deſtituerat.

XXXVIII. Igitur de hoc ſermo eſſe cun- *1691.*
ctis locis. Dici palam, prædicari, unum omnium optimum, fortiſſimumque eſſe Maurocenum: Principem bello præfici: creari Imperatorem oportere. Eidemque pulcrum, præclarumque ad

fa-

1692. famam fore, ſiquidem optanti Patriæ, petentique adſit; veteremque reddat felicitatem. Comitia Majora deinde indicuntur. Concurſus omnium eo factus eſt; continuoque apparuit, omnium ſtudio ac voluntate eum expeti. Ac Sexviri quidem Comitiis regundis eum multis precibus orabant, ut ſe legi pateretur. At ille minime ſeſe pati dicere, vel paſſurum; & de ſe pleraque monebat. Cœpta ſunt igitur nomina aliorum recitari. Tum vero murmur ingens in Comitiis eſſe; voculæque hominum obloquentium & improbantium; ut facile intelligeretur, neminem paſſuros, præter unum Maurocenum, Imperatorem creari. Sexviri itaque ea re plurimum permoti, rurſus ad eum redeunt. Orant, obſecrant, ut Princeps Optimus Optimæ Reipublicæ opem ferat; imperiumque accipiat; barbaroſque toties a ſe victos, denique vincat. Victuſque eſt tandem ſtudio, & conſenſione Civitatis. Statim igitur Comitiis iiſdem factum, quod fieri utique conſuevit, cum qui Reipublicæ Princeps eſt, creatur Imperator, Senatuſconſultum fieret de rogando Franciſco Mauroceno, ut imperium accipiat. Ac poſtridie quidem ejus diei cum Senatuſconſultum magna omnium ho-

hominum voluntate & exſpectatione eſſet in 1692.
Comitiis recitatum, e ſella regia, in qua ſedebat, ſurgens Maurocenus; coronaque poſita, uti mos a majoribus traditus, ac perpetuo retentus, ejus eſt qui orat ad Civitatem quæ Comitiis continetur, *Superi*, inquit, *vos, liberoſque veſtros, Urbem hanc, Remquepublicam fortunent. Vultis, me ter antea Imperatorem; fortunaque ſæpe, ac variis belli caſibus tentatum; ſenem nunc, feſſumque laboribus ac valitudine; præeſſe quartum Claſſi, & exercitui. Dii approbent; quod facitis; parebo Princeps volens ſecundum veſtræ voluntati; cui puer, cui adoleſcens, cui vir, firmaque ætate ad hanc ipſam diem parui. Detur hoc quoque, quod mihi eſt, vitæ reliqui Patriæ cariſſimæ; quod quidem ſentio, quam ſit exiguum. Sibi caſtra habeant; ſibi prælia; quod tamen jamdiu cupiebam in domicilio hoc Imperii vobiſcum una; una cum propinquis ac neceſſariis agere, tranſigere quiete; tranquilleque. Ita igitur evitar; itaque, Diis bene juvantibus, rem geram, ut neque vos pæniteat tradita mihi ſumma poteſtatis, neque me ullo unquam tempore pudeat.*

XXXIX. Movit Civitatem viri gravis graviſſima Oratio, viroque principe digna; vixque lacrimas continuit. Lætique mox agere univerſi;

1692. ſi; ejuſque laudes celebrare, Plebs item læta,
voces addere; Principem, Imperatorem, Mau-
rocenum, per Urbem volitans, ſalutare. Patres
1693. interea feſtinare, curare, niti, ut omnia in prom-
tu ſint; terreſtres ac navales copias multimodis
augere; duces evocare; cogere pecunias, impe-
rare: armorum magnam vim, telorum, tor-
menta pleraque, balliſtas navibus imponere; quæ-
que cultum Principis decerent, ac majeſtatem,
parare ſedulo. In his triremis ſplendida, ac for-
tiſſima, qua veheretur, ornatuque regali. O-
mnibus compoſitis, placuit IX. Kalendas Ju-
nias Imperatorem proficiſci. Iſque ubi advenit,
ſolemni facta re divina, votiſque nuncupatis,
comitante Senatu, ingentique quodam Populi
concurſu, & hominum externorum, Mauroce-
nus paludatus, manuque geſtans baculum mili-
tarem, quod eſt imperii inſigne, in forum pro-
cedit, quod eſt ad Divi Marci. Fuere tum, qui
libere dictitarent, a moribus omnino liberæ Ci-
vitatis abhorrere, talem baculum a Mauroceno
per Urbem geſtari. Henricum Dandulum Prin-
cipem, cum ad bellum Conſtantinopolitanum
proficiſceretur, Crucem, non baculum prætu-
liſſe. Quæ nihil tamen Maurocenum movere.

Patri-

Patribus enim auctoribus, qui ſe uti inſignibus 1693.
imperii voluiſſent, ſe id facere dixit. Baculum autem in his eſſe militarem: graviſque ac moderatus ad navim proceſſit; quam tamen minime conſcendit, die impeditus, quæ curſum navibus nequaquam daret. At poſtridie, tempeſtatem nactus, quam optarat, vectus eo Bucentauro, facile inſcendit; cui Michaëlem, fratris filium, præfecit, ac ſtatim oram ſolvit; proſpereque cum navigaſſet, ſecundo ac trigeſimo poſt die Epidaurum pervenit; ibique a Mocenico exercitum accipit; continuoque luſtrat; inde Piræeum navigat; quo, neque ita poſt multo, triremes Melitenſes, ac Romanæ pervenere. Conſilium deinde habitum, quo quæ prima tentarent, quæſitum eſt. Et Chalcis quidem facile occurrebat; cunctique probabant. Sed urbem validam, uſuque rerum omnium firmam, viribus nondum auctis, firmiſque aggredi tum, minime placuit: omnibuſque volentibus in ſequentem annum negotium dilatum; monuitque Patres de re tota, datis litteris; quibus quoque magnopere petiit, ſedulam operam darent; vere primo ut auxilia adeſſent. Ipſe, æſtate reliqua, arces, idoneo loco ſitas, rebus omnibus

1693. munivit, inſtruxitque; milites labore, ac diſciplina exercuit, & erudivit. Spes deinde, ſi Smyrnam continuo tramiſiſſet, oblata eſt, navium Afrarum opprimendi, quas, fama erat, eo propediem venturas, ut Turcarum claſſi, præſidio forent, quæ ex Ægypto revertebatur. Itaque celeriter omnia parat. Zeno militum ad octomillia tradit, quibus ſit tutior Peloponneſus. Tum Bartholomæo Gradonico, qui quinqueremium Præfectus erat, imperat, ut triremibus quattuor, quinqueremibus ſex, navibus ſeptem celſioribus, haud procul Cenchræis, in ſtatione ſit. Ipſe cum Claſſe reliqua VI. Idus Septembres Smyrnam contendit, ſpe certa vincendi ac potiundi. Primumque proſpera navigatione uſus, ad Andrum venit; quo loco Septemtriones venti, dies tres ipſos, diſtinuere. Inde mox Scyrum; indeque, adverſis fere ventis, Chium. Quo cum veniſſet, intelligit, Afris domum dimiſſis, Turcas in Helleſpontum profectos. Ibi tum ſermo a paucis ortus, omnium fere deinde eſſe: optimum factu fore, ſi Chio ipſa potiretur, inſula ditiſſima, pulcherrimaque. Rem utique eſſe, quæ copiis facile paretur, quæ in promtu ſint; nec barbaros, utpote imprudentes

&

& imparatos, diu reſtituros. Quæ Maurocenus 1693. minime probabat. Nequis tamen foret, qui deinde reprehenderet, aut quereretur, amiſſam occaſionem capiundi, Conſilium advocat. Quærit de Chio, quid putent faciundum; atque ordine interrogat. Singuli porro, ad unum omnes, cenſent oppugnandam. At Maurocenus brevi pleraque commemorare, quibus id nequaquam videatur. Eaque ubi edocuit, fertur addidiſſe: *Nunc, ſi placet, Chium adgrediamur: volentes ſequar. Deos tamen ego, homineſque teſtor, me culpa omni cariturum, ſiquid contingat adverſi.* Ubi hæc dixit, primo ſilentium omnes tenuit; tum fateri univerſi, vera quæ diceret, eſſe; unumque Maurocenum ea omnino videre, quæ cæteri minime vidiſſent. Morbi deinde in Claſſe graviores eſſe. Itaque, quod Melitenſes quoque domum parabant, celeriter in Peloponneſum rediit; cujus adventus metu barbarorum Inſulam liberavit. Hi enim, numero undecim millium, ad Thebas convenerant; tribuſque millibus Liberachius quidam præceſſerat; & caſtris poſitis ad Megaram, quærebat, quo potiſſimum loco Iſthmi fauces tentaret. Poſtquam vero cognovit, Claſſem noſtram adventare, caſtris in-

cen-

Digitized by Google

1693. cenſis, multumque feſtinans, ad ſuos revertitur. Porro Maurocenus, priuſquam hiematum Naupliam concederet, pleraque facere conſtituit; in his, uti Æginam communiret, ubi deinde pars foret navium, quibus Sinus Saronicus, oraque Corinthi eſſent tutiores. Tecta igitur, muroſque reſtituit, ac turrim addidit, quo facilius portus defenderetur. Eaque dum ageret, ſæpe dicere auditus eſt, Peloponneſum rem præclaram quidem eſſe; eximiamque illius poſſeſſionem, & honeſtam Venetæ Reipublicæ perpetuo fore, ſed utiliorem tamen, tutioremque ſibi omnino videri Cretæ Inſulæ. Itaque de pace ſiquando in conventu aliquo ageretur, ſe jam tum Patres hortari, ut pro Peloponneſo Cretam mallent. Hanc enim facile defendi, ac retineri poſſe; non ita facile Peloponneſum. Idque deinde eventus comprobavit. Qua in re prudentia Imperatoris plurimi facienda eſt; plurimique illius æquitas animi; qui quam rem virtute ſua pepererat; quamque natura amare homines ſolent; tamdiu dilexit, quamdiu id utile Civitati fore exiſtimavit; ob id etiam magnopere laudandus, quod cognomen fortiter contemſit, quod Inſula commutanda amitti, ac poni neceſſe erat. Sed eo

re-

revertamur. Multimodis Maurocenus, quæ di- 1693.
ximus, undique communiebat; aliaque conantem, parantemque, quæ utilia viſa ad Chalcidem oppugnandam, mors oppreſſit hiemis ini-
tio. E gravi morbo ſe propemodum refecerat, 1694.
cum repente graviore multo implicitus eſt; inutilique opera medicorum, annos natus ſeptuaginta ſex, cum annos ſex Principatum obtinuiſſet; poſt triduo exſtinguitur. Iſque fuit dies a. d. VIII. Idus Januarias. Elatuſque eſt Naupliæ magno apparatu, atque honore militari, triſtitiaque ingenti Ducum, militumque. Venetiis deinde juſta a Patribus perſoluta, regali quadam nobilitate, ac magnificentia. Gratique erga memoriam optime de Republica meriti Principis in Aula, quam *Scrutinii* appellant, monumentum inſolitum conlocant, addita rurſus inſcriptione:

FRANCISCO MAUROCENO
PELOPONNESIACO
SENATUS
ANNO CIƆ IƆCVIC.

Benignique mox in propinquiores, Franciſcum & Michaelem, fratris filios, in quibus ſpes de Patruo erat, in ordinem ſenatorium ante ætatem cooptarunt.

XL.

1694. XL. Regibus, Populiſque externis dolori magno, triſtitiæque fuit illius mors; quaſique ex gente unum deflevere; neminemque e ſuis huic antetulere. Veneta Civitas quidem certe tanti fecit, quanti præterea neminem; libenſque ac volens ſæpius prædicavit, nihil in bello, niſi laudandum eum feciſſe, aut dixiſſe, aut ſenſiſſe. Vir fuit Publii Africani virtutibus ſimillimus; dictorumque ac factorum ejus, dum vixit, memor, cultor, & imitator. Adoleſcens in Græciam numero pene militum profectus eſt; ibique ordine poteſtates tenuit. Quarto deinde, ac vigeſimo poſt anno rediit in Patriam, cum fuiſſet Imperator. Bello Cretico rurſus imperio tradito, Turcas urbem Candiam ſummis viribus oppugnantes, tres annos ipſos fortiſſime diſtinuit; deſertuſque a Sociis, ſic urbe ceſſit, ut Achomati, ac barbaris victoribus leges daret pacis; minime acciperet; dictaque die, & crimine proſciſſus, major natura, animoque fuit, quam ut reus eſſe ſciret; ac deinde interrogatus, eam de ſe, rebuſque ſuis Orationem habuit, ut ſatis conſliterit, neminem unquam, neque melius, neque verius laudatum eſſe. Tertium lectus Imperator bello

Pelo-

Digitized by Google

Peloponneſio, brevi Inſulam cepit; quo facto, *1694.* ſic Peloponneſus ei cognomen peperit, ut Scipioni Africa. Decus Euboea, ac laudem addidiſſet, quarto imperium capeſſenti, niſi mors ſeni repente vitam ademiſſet. Imperator fuit, cui neminem, ne ex veteribus quidem maximis, præferas, prudentia, induſtria, fortitudine; periculoque oblato, aut re quavis ardua, conſilio fuit perpetuo audaci, & expedito. Culpa nuſquam male rem geſſit; ſemper ingenio vicit. Integer, ſeverus, gravis; mira tamen lenitate, cum tempus poſceret, militibus & adeuntibus. Animo fuit magno, forma imperatoria, ut ipſo aſpectu cuivis injiceret admirationem ſui. Laboris patiens ac injuriarum. Civis bonus, ac fide magna. Diligens imperii, ſervandæque diſciplinæ; vindexque acerrimus, ſiquis ſolveret. Præmiis, pœniſque tribuendis ſummos, imos in officio continuit. Maria, regiones, ventorumque vim, atque ingenium ita tenuit, ut ſcientia omnes vinceret. Quem plurimum barbari timuere; Veneti adamarunt; maximique fecerunt. Ea animi bonitate, ut Corrario, qui in diſcrimen capitis adduxerat, nunquam iratus, vel infenſus fuerit; nunquam, ne

Digitized by Google

1694. verbo quidem, læſerit, aut violarit; ſed perpetuo prædicaret; errore ductum, non malitia, ad accuſandum veniſſe. Quodque ad abſtinentiam erit memorabile, contentus uſque re ſua tenui familiari fuit, cum propter frequentes delatos honores, poteſtateſque ſummas, ditiſſimus eſſe poſſet.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM, ET NOMINUM.

A

ABæa, magna Peloponneſi urbs, a Franciſco Mauroceno oppugnatur, & capitur. 52. Ejuſdem tituli ſaxo inſculpti ad laudem Mauroceni. 54. deditur Venetis. 315.

ad Abydum pugna Venetorum. 33. Abydum, & Seſtum Claſſis Veneta adnavigat. 37.

Acarnanes, & alii populi finitimi ad Venetos deficiunt. 294. a Venetis adjuvantur. 195.

Accuſati injuria multi ob invidiam, recenſentur. 269.

Achomates Viſſirius homo ferociſſimus. 86. oppugnat fortiſſime Candiam. 95. dona Regis Turcarum ad eum. 102. Achomatis nonnulli amici occiſi. 103. Achomatis diligentia in oppugnanda Candia. 114. tamquam ignavus a Rege Turcarum litteris exprobratur. 122. terra, marique Candiam aggreditur. 122. nihil proficiens, ſibi iraſcitur. 130. ad milites inflammandos multa pollicetur. 131. Franciſcum Maurocenum Venetorum Imperatorem in cœlum laudibus extollit. 132. in tabernaculum mœſtus ſe abdit. 135. Mauroceni litteræ ad Achomatem. 136. pecuniis, & pollicitationibus milites in officio continet. 139. ejus litteræ ad Regem, quibus a pace pluribus deterret. 150. dona ad eum ab Rege Mahumeto. 156. Achomatis cum Franciſco Mauroceno comparatio. 159. Turcarum auxilia ad Achomatem. 164. cum Molino de conditionibus pacis diſceptat. 170. morbo laborat. 173. ei Candia deditur. 214. a Rege Turcarum magnifice, & glorioſe laudatur. 219. Bizantium ad Regem ſe confert, a quo comiter exceptus, donis ornatur. 224. moritur. 288.

Adriatici ſinus provincia Franciſco Mauroceno defertur. 12. cum defendentis munus. ibidem.

Adverſæ res vel fortiſſimos deterrent. 374.

ad Æginam Franciſcus Maurocenus onerarias novem capit, unam deprimit, tres comburit. 28.

Ærario exhauſto conſulitur. 272.

Agendi opportunitas plerumque cum pernicie dimittitur. 20.

Alandius Thomas tribunus militum mittitur ad Achomatem Viſſirium cum Stephano Scordilio ex numero ſcribarum, ut de Candiæ deditione agat. 211.

Alceniacus Alexander ad Coronem Turcas perdit. 304. glande ictus ad Naupliam fortiter pugnans moritur. 329.

Almericus Gallorum militum præfectus in inſula Paro moritur, cui non ſolum a Franciſco Mauroceno Imperatore funus in inſula ampliſſime factum, ſed a Senatu Venetiis, & memoria appoſita, ſtatuaque addita, in Æde D. Franciſci Conventualium. 78.

Anactorium occupatur a Venetis, & a fundamentis evertitur. 296.

Anandus Thomas tribunus militum Turcas fundit. 303.

Andreas III. cognomento Venetus, Rex Pannoniæ ex Thomaſina Mauroceна natus eſt. 2.

Antirrhium Ætoliæ promontorium a Venetis capitur. 340.
ad *Aquariam rem curandam magiſtratus novem Senatorum inſtituitur*. 280.
Arces Italiæ a Venetis novis operibus, ac munimentis inſtruuntur. 282.
Arpicornus, Calamus, Calojerus a Franciſco *Mauroceno occupatur*. 69.
Arrighius Antonius *Operis hujus auctor* Hieronymum *Maurocenum Epiſcopum* Franciſci *Mauroceni Imperatoris fratris filium Oratione mortuum deflevit*. 343.
Aſiæ præfectus obtruncatur. 163.
Athenarum laus. 346. *oppugnantur a Venetis, & in deditionem accipiuntur*. 346. *diruuntur*. 353.
Atheſis fluminis damna. 279.
Avaritia animum etiam virilem effœminat. 76.
ad *Aulonem ſexdecim naves triremes barbarorum capiuntur*. 5.

B

Baduarii Laurentii *virtus ad inſulam Paron in prælio contra Muſtaphum ducem claſſis Turcicæ*. 14.
in *Baduarii* Petri *navi triremi* Franciſcus *Maurocenus militiæ tirocinium poſuit*. 4.
Baduarius Barbarus *Claſſis præfectus*. 40.
Barbadici M. Antonii *Coreyrenſis Archiepiſcopi cum* Franciſco *Mauroceno Imperatore diſſidium*. 296. *Romam dilabitur*. 296. *Cardinalis creatur*. 297.
Barbadicus Marcus *Candiæ glande ictus moritur*. 126.
Barbaro Candiæ Legato Senatus legationem adimit. 105.
Barbarus Antonius *cum* Hieronymo *Piſauro pugnans ad Chium cum Halyo claſſis Turcarum præfecto binas triremes capit*. 54. *citatus a* Franciſco *Mauroceno Imperatore ad dicendum cauſſam, cum ter vocatus non adfuiſſet, capitis damnatur; at Venetiis abſolvitur*. 79. 80.
Baſſignanus architectus. 301.
Battalea Franciſcus *Candiæ erumpit, & Turcas in fugam conjicit*. 134. *glande ictus cadit*. 135.
Battalea Hieronymi *virtus in prælio ad inſulam Paron contra Muſtaphum ducem claſſis Turcicæ*. 14. *Candiæ Pro-legatus eligitur*. 106. *Candiæ Legatus creatur*. 169.
Bellefontius a Galliarum Rege Candiam mittitur. 186.
Bellefortius, & Noallius erumpentes Candia Turcas in fugam conjiciunt. 180. *laudantur*. 181. *Bellefortius occiditur: ejus caput Achomatis juſſu obtruncatum Lariſſam ad Regem Turcarum mittitur, cujus juſſu celſo in loco omnibus conſpiciendum præbetur*. 182.
Belli, atque maris eadem fere ratio. 374.
in *Bello nihil contemnendum*. 20.
Bellum Creticum ſævum, & ingens. 10.
Bembus Fridericus *Candiæ acriter pugnans interficitur*. 188.
Bembus Janus Matthæus *ad Chalcidem Turcas erumpentes in urbem repellit*. 359.
Bembus Marcus *Candiæ Legatus*. 67.
Bernardus Antonius *cum navibus Candiam venit*. 192. *Claſſis præfectus*. 272.
Bichius miſſus cum navibus auxilio Venetis a Claſſe diſcedit, & in Italiam redit. 51.
Bonus Alexander *ſinus Adriatici præfectus Chalcidis ſubſidia impedit*. 371.

Bor-

Borrus Alexander *in prœlio ad Tenedum vulneratur*. 43.

Brunſvicenſem Maximilianum *Veneti Patres ob ſolertem in bello Peloponneſiaco navatam operam maximi pretii gemma donant*. 344.

Bucentaurus Venetorum navis regia. 380.

Buda a Cæſare capitur. 334.

C

Calamus, *Calojerus* & *Arpicornus a* Franciſco *Mauroceno occupatur*. 69.

Calbo Aloyſius *in prœlio ad Diam inſulam vulneratus paullo poſt moritur*. 120.

Calbo Joannes Baptiſta vulneratur. 115.

Calojerus, *Calamus* & *Arpicornus a* Franciſco *Mauroceno occupatur*. 69.

Canalis Antonius *Candiæ acriter pugnans occiditur*. 188.

Candiæ oppugnatio. 10. *propugnaculum* Martinengo *dictum a Turcis capitur*. 10. *Candiæ morbo pene peſtilenti laboratur*. 67. *peſtilentia rurſus ſubito in ea ſævire incipit*. 78. *Candiæ oppugnatio Venetis omnium aſperrima*. 87. *Candia quo anno a Turcis acerrime tentari cœperit*. 91. *Candiæ Dux minor imperio Legato, dignitate major*. 91. *Candiam naves, & belli ſubſidia mittuntur*. 168. *alia auxilia eodem veniunt*. 178. & *ſeq. Candia dedita, quis Civium ſenſus fuerit*. 216. & *ſeq. deditionis*, *Candiæ Regis*. 214.

ad *Candiam-novam* Franciſcus *Maurocenus aggreditur hoſtes*, & *in fugam agit*. 74. 75. *milites Venetos pavor ſubitus corripit*. 76. *ab Achomate Candia-nova funditus evertitur*. 94.

Capellii Jacobi *quinqueremis ventorum vi pulſa ad Cherſoneſum Cretæ miſere confringitur*. 47.

Capellus Joannes *juſſus indicere bellum Turcæ*. 292. *indicere non audet, ac fuga Bizantio ſe ſubducit*. 293.

Caplanus navium triremium apud Turcas præfectus. 121.

Carcer Venetiarum Putei *dictus*, *in quo mortuus eſt Muſtaphus Turcarum dux a* Franciſco *Mauroceno ad Paron inſulam captus*. 14.

Cardinales aliquot, & *viri Principes Romanæ Civitatis, ære conlato*, *decem formæ celſioris naves ornant*. 49.

Caſſanus cuniculo obruitur. 103.

Caſtellum Sanctæ Venerandæ expugnatur. 68.

in *Caſtris Turcarum lætitia ingens ob dona a Rege Mahumeto ad Achomatem miſſa*. 156.

Cephalenii, & *Zacynthii a prædonibus vexati*, *a* Franciſco *Mauroceno liberantur*. 19.

Chaleia capitur. 46.

Chalcidis deſcriptio. 355. *a Venetis oppugnatur*. 356. *Turcæ Chalcide ante lucem erumpentes*, *Venetos oppugnantes cædunt*, *obtruncant*, & *in fugam vertunt*. 358. *in urbem a Venetis repelluntur*. 359. *pugna ingens ad vallum Venetis victoribus*. 361. 362. *cædes magna Venetorum*. 368. *olim eorumdem fuit*. 372. *ad ejus mœnia pugna acerrima*. 373. & *ſeq*.

Chielepham Veneti in deditionem accipiunt. 316.

Chimanſeebius a Cæſare cum aliquot militum copiis Candiam venit. 196.

Chiro *Villa domum redit*, *eique ſubrogatur* Alexander *Mombrunius Gallus*. 112.

ad *Cicalariam* Franciſcus *Maurocenus hoſtes caſtra propemodum te-*

nen-

nentes pellit, & in fugam vertit. 72.
Cicca ad Chalcidem vulneratur. 364.
Cittadellæ Aloyſii laus. 342.
Claſſis Turcarum ad fauces Helleſponti Laurentii Marcelli Imperatoris virtute deleta. 43.
Claſſis Turcarum præfectus Helleſponto exit. 306.
Claſſis Veneta Seſtum, & Abydum adnavigat. 37.
Claſſis Venetorum ad Corcyram qualis. 293.
Claudius Comes S. Paulli terreſtribus copiis præfectus. 300.
Clemens X. moritur. 278.
Clementis IX. Pontificis litteræ ad Franciſcum Maurocenum Imperatorem. 206. reſcriptio Mauroceni ad eum. 208. dolore ob Candiam deditam conſumtus moritur. 222.
Conigſmarchius vulneratur. 325. 331. patera aurea ob fortitudinem in prælio a Patribus Venetis donatur. 333. Turcas fundit ad Patras. 337. & ſeq. publice laudatur, & æs militare ei augetur in annos ſingulos. 344. ad Chalcidem ægrotat. 356. moritur. 365. ejus laudes. 365. in Navalium veſtibulo ei ſtatua decreta. 377.
Contareni Dominici Principis juſſu ob pacem Candiæ factam donarium in Ædem D. Antonii Patavinam illatum. 221. ejus mors. 274.
Contarenus Aloyſius in prælio ad Diam inſulam navem unam Turcarum capit. 118. Princeps creatur. 277. moritur. 291.
Contarenus Hieronymus mittitur ad Helleſpontum ad Turcas coercendos. 46.
Contarenus Jacobus Candiæ Dux Noallium abire volentem convenit, ſed nihil proficit. 193.
Corbonius cum equitatu Turcas Chalcide erumpentes repellit. 359. eoſdem iterum disjicit. 362. diſcerpitur pila ferrea tormento ejecta. 370.
Corcyrenſium turbas Franciſcus Maurocenus componit. 17. & ſeq.
Corinthus a ſuis deſerta a Venetis occupatur. 341.
Cornelius Andreas Claſſis præfectus. 37.
Cornelius Catharinus copiarum navalium præfectus. 112. ejus inventum ad foſſores cuniculorum recreandos. 125. ſaxi fruſto vulneratur. 162. ignifero globo repente conſumitur. 165. 166. & ſeq.
Cornelius Georgius cum equitatu barbaros ex Abæa oppido egreſſos, & in ſuos irruentes, in urbem repellit. 52.
Cornelius Hieronymus eques a Senatu creatur. 168.
Cornelius Joannes Franciſcus in prælio ad Diam inſulam fortiſſime pugnans moritur. 120.
Cornelius Laurentius ſeptem triremium præfectus. 116.
Corones deſcriptio. 301. oppugnatur. 309. expugnatur. 311.
ob Coronem captam Venetiis lætitia ingens. 313. & ſeq.
Corrarius Antonius, tribus Orationibus Franciſcum Maurocenum Imperatorem in Comitiis Majoribus accuſat. 226. priore. 228. Triumvir creatur. 243. altera. 244. tertia. 257. ſibi timet. 259.
Corſorum gentis in Venetam Rempublicam cultus. 113.
Cremonvillius ad Cicalariam cum hoſte pugnat, eumque repulit. 71. cuniculo obruitur. 103.
Cretæ deſcriptio. 89. quibus paruerit. 90. a Venetis emta, & in Provinciæ formam redacta. 90.
Cretæ Legatus a Venetis Proviſor dictus. 91.
Creticum bellum ſævum, & ingens. 10.
Cuni-

Cuniculi ingentis vi Candia contremuit. 161.
Cuniculo magna Turcarum pars conſumitur.. 199. 231.
ad *Cuniculorum foſſores recreandos inventum*. 125.
Cuniculus depreſſus ad pedes nonaginta. 97.
Cuſſeimus Turcarum Imperator e faucibus Helleſponti egreditur. 48. *cum eo agitur de pace facienda*. 42.
Cydone Javarina Hieronymus *moritur, cujus mors Achomati Viſſirio diſplicet*. 108.
Cydonii vituperantur. 67.
Cytheram ſociorum adventus. 65.

D

Dandulus Henricus *Venetiarum Princeps ad bellum Conſtantinopolitanum profectus*. 386.
Deditionis Candiæ leges. 214. *ea dedita, quis Civium ſenſus fuerit*. 216. & *ſeq.*
Delphinus M. Antonius *in vinculis apud Turcas occubuit*. 61.
Delphinus Hieronymus *ſecundum Molinum navium celſiorum Claſſi præfectus, in Cretam inſulam mittitur ad arces inſtruendas*. 297.
Diedi Dominici *virtus ad inſulam Paron in prœlio contra Muſtaphum ducem claſſis Turcicæ*. 14.
Diſſenſiones inter Vertmillerum Rodulphum *tormentariæ curatorem*, & *Barbarum Legatum*. 105.
Dona Regis Turcarum ad Achomatem Viſſirium. 102.
Donatus Petrus *ipſe*, & Franciſcus *frater, cum navi ab Afris capiuntur*. 379.
Ducibus exercitus præmia a Senatu pro cujuſque virtute decernuntur. 152. 377.
Duracus pirata inſignis. 116. *fortiter pugnans glande trajectus moritur*. 119.

E

Epidaurus in rupe ſita. 22. *obſidetur a* Franciſco *Mauroceno*. 39. 377. *deditur cum Elyma*, & *Aulone*. 382.
Equitatus dignitas in Franciſci *Mauroceni Imperatoris familia hæreditario jure ex Senatuſconſulto natu maximum perpetuo ſequitur*. 333.
Eritius Franciſcus *creatus ad exercendam quæſtionem de rebus Cretæ*. 244. *quærit*. 267.
Eruptiones nonnullæ ex Candia in hoſtes. 108. 123. 134. 169.
Eunuchi Turcæ inſcitia rei militaris deridetur. 157.

F

Familiæ Maurocenæ origo. 1. *Maurocena gens Principes quatuor Civitati dedit*. 1. *ejuſdem nobilitas*. 2.
in *Faſtidientes homines nonnulla* 31.
Fortitudo intemperans, & *nimia cavenda*. 61.
Foſcolus Leonardus *Claſſis Imperator*. 16. *febri quartana laborat*. 22.
Fulliadeus ex Gallia cum delecta manu voluntariorum Candiam venit. 140. *Turcas in fugam conjicit*. 146.
Fuſcareni Michaelis *pro* Franciſco *Mauroceno Oratio*. 260.
Fuſcarenus Hieronymus *Imperator* Aloyſio *Mocenico ſufficitur*. 33. *Senatus ad eum litteræ de* Franciſco *Mauroceno*. 34. *moritur ad Andrum inſulam*. 36.
Fuſcarenus Jacobus *vulneratur*. 115.

Galli

G

GAlli voluntarii ex propugnaculo D. Andreæ urbis Candiæ Turcas pellunt. 141.
Galliæ Rex Belleſortium, *&* *Noallium Candiam mittit cum militibus*. 154.
Galliarum Regem Franciſci *Mauroceni virtus movet*. 180.
Gallorum factum egregium, *&* *memorabile*. 144. *Gallorum eruptio ex urbe Candia*. 146. *pugnant pauci numero cum centum millibus Turcarum*. 147. *alia eruptione ex urbe Turcas in fugam conjiciunt*. 180. *Gallis abeuntibus*, *&* *ſociis aliis*, *agitur cum Viſſirio Achomate de Candiæ deditione*. 211.
Gallorum ingenium, *&* *natura*. 70.
Garennius Gallorum equitum præfectus ſeditionem ingentem in navibus ortam ſedat. 67. *cum Haſſano ad Cydonem confligit*. 68. *ad Arpicornum a Turcis in anfractu circumventus miſere obtruncatur*. 70.
Garennius Hieronymus *ad Chalcidem fortiſſime pugnans interficitur*. 263.
Gentis Maurocenæ origo. 1. *Principes quattuor Civitati dedit*. 1. *ejuſdem nobilitas*. 2.
Gereniam Veneti in deditionem accipiunt. 316.
a Germanis Turcæ ad Arrabonem fluvium profligantur. 85.
Germanorum ſubſidium in caſtra Venetorum ad Chalcidem venit. 365.
Gomenitia arx exigua a Venetis evertitur. 317.
Gradonicus Bartholomæus *quinqueremium præfectus*. 388.
Græcia tota nulla urbs cum Candia conferri poteſt. 92.
Græciæ lætitia ob electum Franciſcum *Maurocenum Imperatorem*. 45.
Grimaldus Bartholomæus *glande percuſſus propemodum interit*. 163. *deſerendam Candiam cenſet*. 203.
Grimaldus Corbonius *cum Melitenſibus ad Coronem rem in ſummo diſcrimine poſitam reſtituit*. 304.
Grimani Imperatoris ad Senatum de Franciſco *Mauroceno laudes*. 9.

H

HAlyus claſſis Turcarum præfectus ad Chium cum Venetis pugnat, *a quibus in fugam conjicitur*. 54.
Harcurtius Henricus *cum voluntariis Turcas Chalcide erumpentes repellit*. 359.
Haſſanus cum ſuis Cydone egreſſus ad Garennium propellendum glande ictus moritur. 69.
Hominibus raro bona mens datur, *&* *bona fortuna*. 76.

I

JAnus Cretenſis Cuſſeimo Turcarum Imperatori carus eum eo agit de pace cum Venetis facienda. 42.
Jàvarina Hieronymus *Senatui a ſecretis fraude Achomatis Viſſirii Cydonem abducitur*, *&* *in arctiſſima cuſtodia detinetur*. 101. *Ibidem moritur*, *ejuſque mors Achomati valde diſplicet*. 108.
Illyrii cum Melitenſibus rem in ſummo diſcrimine ad Coronem poſitam reſtituunt. 304. 305.
Imota Thaddæus *tribunus militum Candiæ acriter pugnans interficitur*. 129.
Imperatoris conſtantia, *ſapientia*, *ac virtute res magnæ geruntur*, *vel reſtituuntur*. 72.
Innocentius XI. Pontifex creatur. 278. *moritur*. 380. *ei ſufficitur* Petrus *Othobonus appellatus Alexander VIII*. 380.

In-

Invidia fere gloriam ſequitur. 20. *homines excæcat*. 84. *ob invidiam multi injuria accuſati recenſentur*. 269.
Italiæ Principes auxilia Candiam *mittunt*. 49. 179.
Juniperus combuſta, & *vini epotus flos eſt remedium contra odorem fœdum, ac peſtilentem*. 99.
Juſtinianus Daniel *vulneratur*. 118.
Juſtinianus Hieronymus *cuniculo obruitur*. 103.
Juſtinianus M. Antonius *Venetorum Princeps creatur*. 291. *moritur*. 350.

L

L*Ætitia ingens in caſtris Turcarum ob dona a Rege Mahumeto ad Achomatem miſſa*. 156.
Landechus prædonum dux a Franciſco *Mauroceno capitur*. 19.
Latronum naves omnes ad Nicopolim cum Landecho duce a Franciſco *Mauroceno capiuntur*. 19.
Leges deditionis Candiæ. 214.
Lemnus capitur a Venetis. 43.
Leonis, ac leænæ marmorea ſigna Athenis ad Piræeum inventa Senatus juſſu ad Navalium fores ſunt collocata. 347.
Leucas oppugnatur, & *accipitur in deditionem*. 294.
Lotharingiæ Dux Carolus *Cæſaris copiis in Pannonia præeſt*, & *cum Turcarum exercitu ducentorum millium dimicans prœlio vincit*. 289.

M

M*Agiſtratus novem Senatorum ad rem aquariam curandam inſtituitur*. 280.
Magnaninus Janus Aloyſius *reprehenditur*. 375.
Magnus Aloyſius *Calippi navim capit*. 119.
Magnus Stephanus *in Cretam miſſus ad colligenda crimina* Franciſco *Mauroceno Imperatori objecta*. 83.
Mahumetus navalium præfectus apud Turcas quis fuerit. 59. 60. *ab ejus navarcho Meſſanenſi catenis onuſtus Mauroceno Imperatori traditur; qui Venetias mittitur*. 60.
Marcellus Aurelius *vir pace*, & *bello clarus ad Chalcidem gravi morbo interit*. 369.
Marcellus Laurentius *Imperator in atroci prœlio ad fauces Helleſponti Turcarum claſſem omnino delet*, & *fortiſſime pugnans moritur*. 43.
Maris, atque belli eadem fere ratio. 34.
Martinengo *Candiæ propugnaculum a Turcis capitur*. 10.
Maurocena Conſtantia *nupſit Uladiſlao, Stephani filio, Uroſcii I. nepoti Regis Serviæ*. 2.
Maurocenæ gentis origo. 1. *Maurocena gens Principes quatuor Civitati dedit* 1. *ejuſdem nobilitas*. 2.
Maurocenæ Thomaſinæ *Andreas III. cognomento Venetus, Rex Pannoniæ, filius fuit*. 2.
Mauroceni Franciſcus, & Michael *filii fratris* Franciſci *Mauroceni Imperatoris ante ætatem a Patribus Venetis in Senatorium ordinem cooptantur*. 391.
Maurocenus FRANCISCUS *ex virtute* Peloponneſiacus *appellatus*, *indolis aſperioris*. 2. *adoleſcentis ſtudia*. 3. *ingenium acre, ac vehemens*. 4. *ad claſſem proficiſcitur militiæ tirocinia poſiturus*. 4. *prælium ad Aulonem feliciter geſtum ejus famæ fundamenta jacit*. 5. *navis ab eo de more ornatæ inſcriptio*. 5. *ea prætoriam barbarorum princeps adoritur, ac pæne frangit*. 6. *præfe-*

ſtus quinqueremi. 7. quinqueremi ſua in portum Aſiæ oppidi cui nomen eſt Cyme, ſe inſert, ibique hoſtium navigia pleraque incendit. 9. navium longarum manui apud Naupliam præficitur. 9. ejus laudes. 10. ejicit Turcas e propugnaculo Candiæ ab iis jam capto Martinengo dicto. 10. a Senatu laudatur. 11. Adriaci ſinus provincia ei defertur. 12. mercatorum de eo laudes. 12. quinqueremium Præfectus. 12. ad Paron dimicat cum prætoria Turcarum; potitur navi, & Muſtapho ductore. 13. Senatus ad eum litteræ. 13. in eum Imperatoris Mocenici iræ. 15. mox fit ei amicior. 16. Præfectus claſſis Cypriam triremem expugnat, aliaſque barbarorum naves capit. 17. ad Naxon onerarias tres ſubigit: tributum imponit Pagaſis, & Caſſandreæ. 17. Corcyrenſium turbas componit. 17. Zacynthiis, ac Cephaleniis a prædonibus maritimis vexatis ſuccurrit. 18. Landechum prædonum ducem capit. 19. ejus litteræ ad Senatum. 21. Epidaurum aggreditur. 22. ejus litteræ ad Senatum. 23. Senatus ad eum. 24. Mauroceni virtus pluribus invidiæ. 25. Rhodum ad remiges ſupplendos proficiſcitur. 259. remigibus inde abreptis, & navibus pluribus captis Pathmum tranſit, & magnam frumenti copiam incendit. 27. a Patribus per litteras laudatur. 28. ad Æginam onerarias novem capit, unam deprimit, tres incendit. 28. potitur Ægina inſula. 34. Senatus ad eum litteræ. 34. panis nautici defectui prudenter ſuccurrit. 34. & ſeq. Pagaſas capit. 35. laudatur. 36. ſociorum cum Mauroceno conjunctio, quod nunquam antea alias factum, niſi cum Imperatoribus. 36. Mauroceni laudes. 58. Sciathum, Scopelum, & Peparethum vectigales facit. 39. obſidet Epidaurum. 39. Megaram, fuſis Turcis, accipit in deditionem. 40. Legatus in Creta. 40. ejus litteræ ad Senatum. 41. & ſeqq. creatur Imperator. 45. Græciæ lætitia ob ejus electionem. 46. Chalciam expugnat. 46. vim tempeſtatis ægre evadit. 46. & ſeq. ejus conſtantia laudatur. 47. & ſeq. provocat ad pugnam Turcas ad Paron; qui fugiunt. 49. ad Caphareum. 51. Claron inſulam Myrtoi, & Abeam urbem capit. 52. Abææ per eum victæ tituli ad ejus laudem. 54. pugna cum Halyo claſſis regiæ Turcarum præfecto, qui a Venetis fugit. 54. inſequitur claſſem Turcicam. 54. 55. Toronem capit. 55. Erythris arce contra Chium potitur, eamque evertit. 56. ad Helleſpontum laceſſit hoſtem ad certamen. 56. Chelidonia potitur. 57. Turcarum Rex ſibi a Franciſco Mauroceno timet. 58. aggredi Chalcidem Maurocenus parat. 62. vento prohibetur. 63. Sciathum oppugnat, & capit. 63. 64. Caſtello Sanctæ Venerandæ potitur. 68. Calojerum, Calamum, & Arpicornum occupat. 69. ad Cicalariam hoſtes caſtra propemodum tenentes pelluntur, & in fugam vertuntur. 72. adoritur hoſtes ad Candiam-novam, & in fugam agit. 74. 75. Candiam-novam aggredi parat, ſed vanus pavor militem impedit. 75. 76. ob peſtilentiam adducit claſſem Paron. 78. morbo gravi, ac diutino laborat. 80. miſſionem impetrat, Venetiaſque redit anno tertio, ac vigeſimo, quam inde diſceſſerat. 81. ejus laudes. 81. 82. Venetiis calumnia appetitur, ſed plena in frequentiſſimo Senatu Patrum omnium ſuffragatione abſolvi-

vitur. 83. deſtinatur ei provincia
Carni. 83. Senatuſconſultum in e-
jus abſolutione factum. 84. ejus u-
nius arbitrio res omnis militiæ Ve-
netiis tradita. 85. creatur ſecundo
Imperator. 87. proficiſcitur. 89. Can-
diam venit. 92. bis vulneratur.
93. urbem munit. 94. Villam re-
ducit in Cretam. 94. oppugnatio-
nem ab Achomate inſtauratam ſuſ-
tinet. 95. humero vulneratur. 100.
erumpit in hoſtem ex Candia ur-
be. 103. 104. congreditur cum claſ-
ſe hoſtium, eamque disjicit ad Diam
inſulam. 118. ejus inventum ad
terrendam Turcarum claſſem. 119.
ejus victoria navalis ad Diam in-
ſulam. 120. Eques ob partam vi-
ctoriam a Senatu creatur. 121. ten-
tatur a Viſſirio Achomate, cui re-
ſcribit. 136. laudatur a militibus
Turcis. 139. ejus virtus Regem
quoque Gallisrum movet. 140. diſ-
ſuadet eruptionem auxiliariorum
Gallorum. 145. occurrit anguſtiis
pecuniæ. 155. cum Achomate Mau-
roceni comparatio. 159. ſaxo vul-
neratur. 162. Conſilium advocat.
185. Conſilium habet cum Roſpi-
lioſio apud Noallium morbo ægrum
decumbentem. 189. impreſſionem
hoſtium ſuſtinet. 196. & ſeq. ad-
vocat Conſilium: ibi Oratio ejus.
200. & ſeq. tentat animum Ro-
ſpilioſii. 205. litteræ ad Mauroce-
num Clementis IX. Pontificis. 206.
reſcriptio ad Clementem. 208. Pro-
curator Ædis D. Marci ſupra nu-
merum creatur; quod privilegium
non primum vidit Veneta civitas.
209. Gallis abeuntibus, & aliis
ſociis, agit de Candiæ deditione
cum Viſſirio Achomate. 211. ini-
qua poſtulantem terret cuniculis.
213. paciſcitur. 214. Candiam
quibus conditionibus Turcis dedide-
rit. 214. laudatur a Patribus pro-
pter pacem, & Remp. optime ge-
ſtam. 220. arces Cretæ inſulæ mu-
nit, & Zacynthum petit. 221. Ve-
netias redit. 225. accuſatur a Cor-
nario tribus Orationibus in Comitiis
Majoribus. 226. prima. 228. al-
tera. 244. Mauroceni egregie fa-
cta. 254. tertia. 257. defenditur
a Joanne Sagredo. 250. & a Mi-
chaele Fuſbarena. 260. quæſtioni-
bus habitis abſolvitur conſenſu in-
genti. 267. 268. Prætor Fori-Julii
creatur. 289. uno Cittatis conſen-
ſu tertio Imperator eligitur. 292. Cor-
cyram pervenit. 293. Leucadem op-
pugnat, accipit in deditionem, ut
& Leucadiam inſulam. 294. op-
pugnat Nicopolim, & redigit cum
omni regione circumjacente in po-
teſtatem. 294. & ſeq. Acarnanes
adjuvat. 295. Anactorium occupat,
& a fundamentis evertit. 296. ejus
diſſidium cum Archiepiſcopo Corcy-
renſi M. Antonio Barbadico. 296.
Coronem oppugnat. 301. & ſeqq.
ſub lucem Turcarum auxilium ten-
tantium vallum aggreditur, & ſu-
perat. 309. impreſſione tentat op-
pidum, & expugnat. 311. & ſeqq.
ejus frater Laurentius Eques crea-
tur. 314. Zernata potitur. 315.
ſuperat Turcas ad Abcam, quam
accipit in deditionem. 315. & ſeq.
ut & Gerenium, & Chielepham.
316. Genenitias arcem exiguam
vacuam inventam evertit. 317.
Pylum accipit in deditionem. 320.
Pylum-novum adoritur. 321. oc-
currit Turcis auxilium laturis: eos
ſuperat: oppidum ei deditur. 322.
Methonem oppugnat. 324. potitur.
326. ob Methonem captam lau-
datur. 326. adoritur Naupliam.
327. hoſtes in auxilium venientes
bis fundit. 329. & ſeqq. in de-
ditionem accipit, ſicuti & arcem
Thermiſſum. 332. Equitatus di-

Digitized by Google

gnitas hæreditario familiæ jure natu maximum Gentis Maurocenæ perpetuo ſequitur. 333. ſervat exercitum a peſtilentia. 335. Patras aggreditur. 336. & ſeq. pugnat cum Turcis; quos ſuperat. 339. Patras, Rhium, atque Antirrhium capit. 340. Naupactum occupat a ſuis deſertum. 340. ſicuti Corinthum, & totam Peloponneſum. 341. Maurocenus laudatur, & ſtatua ærea ei ponitur Venetiis in Armamentario, & Peloponneſiacus appellatur. 342. & ſeq. potitur caſtro Tornesio. 344. Spartanos accipit in deditionem. 344. Epidaurum Limæram tentat. 344. Athenas oppugnat, & in deditionem dedentes ſe recipit. 346. conſtituit de Spartiatibus agentibus contra fidem. 350. Princeps Venetorum abſens creatur omnium voluntate. 351. ludi in exercitu propterea fiunt. 351. Chalcidem tranſmittit. 351. Athenas diruit. 353. Chalcidem oppugnat. 356. Conſilium advocat: ejus Oratio. 359. pergit oppugnare. 361. & ſeq. urbem ſumma vi, cunctiſque viribus aggreditur. 370. ante pugnæ ſignum ejus Oratio. 371. Chalcis olim Venetorum fuit. 372. ad Chalcidis mœnia pugna acerrima. 373. & ſeq. cogitur omittere inceptum. 375. & ſeq. redit Naupliam. 376. Patres mærentem Maurocenum per litteras ſolantur. 377. ægrotat. 377. obſidet Epidaurum Limæram. 377. iterum ægrotat, & Hieronymo Cornelio claſſem optime inſtructam tradit. 379. redit Venetias, & exceptus navi regia a Senatu in Urbem ducitur. 380. mittit ad eum Pontifex Alexander VIII. Enſem, & Galerum cum litteris. 380. & ſeq. victus ſtudio, & conſenſione Civitatis, aſſentitur, ſe quarto Imperatorem creari. 384. Oratio ejus in Comitiis Majoribus. 385. profectio magni ſpectaculi. 386. pervenit Piræeum. 387. Chium trajicit claſſe. 388. cenſet in Conſilio Chium non eſſe oppugnandam. 389. redit in Peloponneſum. 389. de Peloponneſo ejus opinio. 390. moritur, & Naupliæ effertur magno apparatu, atque honore militari, triſtitia ingenti Ducum, & militum. 391. Monumentum inſolitum a Patribus in Aula Scrutinii dicta ei collocatur, addita inſcriptione. 391. Senatus benignitas in fratris filios. 391. Regibus, Populiſque externis dolori magno, triſtitiæque ejus mors. 392. ejus laudes. 392. & ſeqq. Maurocenum Hieronymum Epiſcopum Franciſci Mauroceni Imperatoris fratris filium Antonius Arrighius auctor operis hujus mortuum Oratione deflevit. 343.

Maurocenus Georgius Mauroceno Franciſco Imperatori morbo implicito ſucceſſor datur. 81.

Maurocenus Michael Imperatoris fratris filius ad Chalcidem vulneratur. 364.

Maurocenus Petrus pater Franciſci Mauroceni ob filii virtutem Ædis D. Marci Procurator creatur. 46.

Maurocenus Petrus filius fratris Franciſci Mauroceni Imperatoris Eques creatur, ſanciturque, ut ea dignitas hæreditario familiæ jure natu maximum perpetuo ſequatur. 333.

Maurus Leonardus naves duas celſiores Turcicas capit. 122.

Megaræ ſitus. 39. fuſis Turcis, accipitur in deditionem. 40.

Melitenſes Equites ſexaginta Candiam, ad eam defendendam a Magiſtro Magno miſſi cum trecentis peditibus, veniunt. 142. a Melitenſibus Turcæ cæduntur, ac pelluntur. 161.

Mercatorum de Franciſco Mauroceno pro-

Digitized by Google

provinciam ſinus Adriatici obtinente laudes. 12.
Metambuchii Brunſvicenſium Ducis virtus. 198.
Methonem oppugnant, & capiunt Veneti. 324. & *ſeqq*.
Milites Turcæ victi labore, militia aſpera, ac diuturna litteras ad Regem ſuum mittunt. 139.
Militum lætitia propter Abæam a Franciſco *Mauroceno captam*. 53.
Militum repens terror ad Candiam-novam. 76. & *ſeq*.
Minii Aloyſii *virtus*. 200.
Mocenicus Aloyſius *Imperator ad Senatum ſcribens* Franciſcum *Maurocenum laudat*. 10. *ei iraſcitur*. 15. *mox fit amicior*. 16. *fit ſecundum Imperator*: 29. *litteræ ad Senatum*. 31. *moritur*. 33.
Mocenicus Lazarus, & Thomas *in prœlio ad inſulam Paron contra Muſtaphum ducem claſſis Turcicæ fortiter ſe gerunt*. 14. *ad fauces Helleſponti cum Turca acriter confligit, cumque conficit*. 38. *moritur*. 45.
Molinus Alexander *claſſis Venetæ extra ordinem Præfectus*. 293.
Molinus Aloyſius *Legatus ad Regem Turcarum, ut cum eo de pace agat*. 148. *ſumma ejus Orationis in conventu*. 149. *Cydonem, re infecta, miſſus, ibi ab Achomate Viſſirio ſatis liberaliter habetur*. 151. *cum eo Achomates de conditionibus pacis diſceptat*. 170. *fruſtra a noſtris hominibus ab Achomate miſſis tentatur*. 172. 176. *poſt pacem factam Legatus ad Regem Turcarum mittitur*. 222. *a Rege comiter, ac magnifice excipitur*. 224. 225.
Mombrunius Alexander *Gallus in locum Chironis ſufficitur*. 112. *munimenta Candiæ contemplantis exclamatio*. 124. *Mombrunii, cæterorumque Gallorum factum egregium, at memorabile*. 144.
Munus provinciam ſinus Adriatici obtinentis. 12.
Muſtaphus cum navi prætoria ad Paron dux. Turcarum a Franciſco *Mauroceno capitur*. 13. *quis fuerit Muſtaphus, & qua ratione mortuus*. 13. & *ſeq*.
Muſtaphus, & Haſſanus, Nauplia dedita, a Rege ſibi timentes Venetias ſe recipiunt. 332.
Muſtaphus Viſſirius Caſſoviam, Pannoniæ ſuperioris caput, Eperias, Leventium, Filletum capit. 288.

N

Nanius Baptiſta *Legatus res componit cum Mamuto*. 271.
Nanius. Bernardus. *Candiæ Legatus creatur*. 105. *Venetiis cum auxiliis Candiam pervenit*. 112. *dum magna vi animi irruentem Achomatem repellere conatur, glande caput ictus moritur*. 123. 124.
Naugerius Hieronymus *in ſtatione contra Caplanum*. 127. *occiditur Candiæ acriter pugnans*. 188.
in *Navibus ſeditio ingens*. 66.
Navis ad Aulonem capta Venetiis perducta memoriæ ergo in Armamentario collocata ad hanc diem cernitur. 5.
Naupactum a ſuis deſertum Veneti occupant. 340.
Naupliam adoriuntur Veneti. 327. *in deditionem accipiunt*. 332.
ad *Nicopolim latronum naves omnes cum Landecho duce a* Franciſco *Mauroceno capiuntur*. 19.
Nicopolis oppugnatur, & redigitur in poteſtatem a Venetis. 294.
Niger Hieronymus *frater Antonii, qui erat a ſecretis Imperatori* Franciſco *Mauroceno, miles voluntarius ad Candiam-novam, glande percuſſus moritur*. 75.

Digitized by Google

Noallius, & Belleſortius Candia erumpentes Turcas in fugam conjiciunt. 180. laudantur. 181. Noallii Oratio in concione. 184. morbo æger decumbit. 189. apud eum cum Roſpilioſio Franciſcus Maurocenus Imperator Conſilium habet. 189. fruſtra Maurocenus conatur retinere; qui tandem abit. 193. a Rege Galliæ omnium vocibus damnatus abſolvitur, & in gratiam reſtituitur. 270.

Nobiles Veneti nonnulli ob rei male geſtæ ſuſpicionem damnati. 234. cauſſam dicere coacti, quod de pace miſſi, mandati fines exceſſerint. 241.

O

OBſides Turcarum, & Venetorum in Candiæ deditione qui fuerint. 215.

Opportunitas agendi plerumque cum pernicie dimittitur. 20.

Oratio Joannis Sagredi pro Franciſco Mauroceno Imperatore. 250.

Oratio Michaelis Fuſcareni pro Franciſco Mauroceno Imperatore. 260.

Orationes tres Joannis Corrarii contra Franciſcum Maurocenum Imperatorem. 228. 244. 257.

Othobonus Petrus, appellatus Alexander VIII. in locum Innocentii XI. ſufficitur. 380. pleraque erga Pontificis propinquos benevole, ac liberaliter Patres Veneti faciunt. 382.

P

PAgaſa, & Caſſandrea a Franciſco Mauroceno adiguntur ad pendenda tributa Reipublicæ. 17. capiuntur. 35.

Panis nautici defectui Franciſcus Maurocenus prudenter ſuccurrit. 34. 35.

Patras Veneti aggrediuntur. 336. & ſeq. capiunt. 340.

Peloponneſi deſcriptio. 299. & ſeqq. de Peloponneſo Franciſci Mauroceni Imperatoris opinio. 390.

Peſtilentia Candiæ ſævit. 78. Corcyræos invadit. 274. in Germania graſſatur. 281. in exercitu Venetorum in dies gliſcit. 335.

Picus Mirandulanus cum navibus Zacynthum venit. 192. Candiam cum claſſe, & militibus adventat. 195.

Piſanus, Bartholomæus, & Laurentius Candiæ vulnerantur. 100.

Piſanus Laurentius Candiæ vulneratur. 100. moritur. 103.

Piſanus Hieronymus cum Antonio Barbaro pugnans ad Chium cum Halyo Turcarum præfecto binas triremes capit. 54.

Prælium horribile, atque atrox ſubtus in foſſione. 98.

Prætoriani Turcarum, ſeditione orta, caſtris repente excedentes in ſaltus invios, & montes ſe recipiunt. 138.

Princeps primus Venetiarum a duodecim familiis creatus. 1.

Principes quatuor Civitati Mauroceпa gens dedit. 1.

a Principibus externis Veneti aut pecunia, aut re juvantur. 153.

Priolus Antonius navium majorum Præfectus ad Chalcidem. 62.

Priolus Hieronymus Candiæ vulneratur. 100.

Privilegium quo Franciſcus Maurocenus Imperator ſupra numerum Procurator Ædis D. Marci creatus eſt. 209.

Propugnacula Candiæ tria ad Occidentem, & tria ad Orientem. 92.

Provinciam ſinus Adriatici obtinentis munus. 12.

Pugna acris Venetorum cum Turcis ad Tenum. 29. & ſeqq. ad Abydum. 33. inter Afros, & Venetos

ad

Digitized by Google

ad *Epidaurum Limeram*. 379.

Pyli ſitus. 321.

Pylum Veneti accipiunt in deditionem. 320. *ſicuti & Pylum-novum*. 322.

Q

QUirinus Matthæus *vir pace, & bello clarus ad Chalcidem morbo graviſſimo interit*. 369.

Quirinus Petrus *quinque triremibus auxilium a Chelidonia arcet*. 57.

R

REs adverſæ vel fortiſſimos detrectant. 374.

Rhium promontorium Peloponneſi. 335. *illud Veneti capiunt*. 340.

Rhytimna oppugnatur a Turcis, & capitur. 7. *& ſeq.*

Ripetta Æneas *ad Chalcidem vulneratur*. 370.

Roma tamdiu ſtetit, quamdiu in ea liberi homines fuerunt. 246.

Roſpilioſius Vincentius *Dia a* Franciſco *Mauroceno Imperatore Candiam vocatur*. 189. *Gallis abeuntibus, ipſe quoque diſcedit*. 193.

S

SAgredus Joannes Franciſcus *Maurocenum Imperatorem ab* Antonio *Corrario accuſatum defendit*. 250. *Princeps a quadraginta, & uno Viris eligitur, ſed ob multitudinis convicia non probatur*. 276. 277. *ejus virtus laudatur*. 278.

Sagredus Nicolaus *Princeps creatur*. 274. *moritur*. 276.

Samothracia capitur a Venetis. 43.

Sciathum Franciſcus *Maurocenus oppugnat, & capit*. 63. 64.

Scordilius Stephanus *ex numero ſcribarum cum* Thoma *Alandio tribuno militum mittitur ad Achomatem, ut cum eo agat de Candiæ deditione*. 211.

Seditio ingens in navibus coorta a Gonennio Gallorum equitum Præfecto ſedata. 67.

Semitecolus Antonius *Candiæ glande ictus moritur*. 126.

Senatorum ſententiæ variæ de mittendo poſt Javarinam ad Achomatem altero, quorum de pacis legibus diſceptetur. 108. *& ſeq.*

Senatus laudes de Franciſco *Mauroceno*. 11. *ejuſdem litteræ ad eundem*. 14.

Senatus decernit, ut ad Achomatem cum mandatis mittatur unus a ſecretis. 111.

Senatus ad tuendam Candiam a Pontifice, Cæſare, Regibus, Reguliſque auxilia poſtulat. 112.

Senatuſconſultum de Venetis patriciis, quorum virtus eminuerat contra Muſtapham Turcarum Ducem in prœlio ad Paros commiſſo. 14.

Senatuſconſultum in abſolutione Franciſci *Mauroceni Imperatoris factum*. 84.

Seſtum, & Abydum claſſis Veneta adnavigat. 37.

Sinus Adriatici provincia Franciſco *Mauroceno defertur*. 12. *cum defendendis munus*. 12.

Socii perpetuo diſſentiunt, reſque in Conſilio decretas, dum res ad manum venit, ut plurimum perturbant. 73.

Sociorum cum Franciſco *Mauroceno conjunctio, quod numquam alias antea factum, niſi cum Imperatoribus*. 36.

Sociorum adventus Cytheram. 65.

Sociorum auxilia Candiam veniunt. 178. *& ſeq. nova ſubſidia*. 185.

ex *Sodalitiorum bonis divenditis pecunia ærario infertur*. 152.

Spar-

Spartani accipiuntur in deditionem a Venetis. 344.
Spartiatæ contra fidem agentes plectuntur. 350.
Sparus Joannes Ludovicus *ad Chalcidem vulneratur*. 375.

T

T*Ekelii Emerici impulſu Turca cum Cæſare in Pannonia bellum gerit*. 288.
Tempeſtate ſæva Venetorum naves ad Scyllæum Argiæ promontorium partim merguntur, partim disjiciuntur. 349. *& ſeq.*
ad *Tenum Venetorum pugna cum Turcis*. 29. *& ſeqq.*
ſub *Terram ferociſſime pugnatur*. 97.
Thebani Athenis auxilium laturi a Venetis paucis horis percelluntur. 346.
Thermiſſum Veneti in deditionem accipiunt. 332.
Thomaſinæ *Maurocenæ Andreas III.* cognomento Venetus, *Rex Pannoniæ, filius fuit*. 2.
Toron capitur a Venetis. 55.
Tres-Viri curandæ valetudini præfecti. 281.
Triumviri ad curam continentis creati. 273.
Turca Tekelii Emerici *impulſu cum Cæſare in Pannonia bellum gerit*. 288.
Turcæ adverſus Illyrios arma ſumunt. 284.
Turcæ ad Arrabonem fluvium a Germanis profligantur. 85.
Turcarum claſſis ad fauces Helleſponti Laurentii *Marcelli virtute deleta*. 43.
Turcarum Regis ad Muſtaphum claſſis ſuæ ducem digredientem fauſta omina. 14.
Turcarum Regis ad exercitum ſuum litteræ. 139.
Turcarum Rex timet ſibi a Franciſco *Mauroceno*. 58.
Turcarum Rex Lariſſam veniens Achomatis ignaviam per litteras exprobrat. 122. *Lariſſæ gravi premitur valetudine*. 173. *contra eumdem Turcarum ſeditio in caſtris, ac pæne Bizantii*. 174.
Turcas nulla eorum miſericordia tangit, quos fortuna deſtituit. 62.
Turennius Gallorum Imperator indigno, ac miſerabili letho perimitur. 281.
Turenium enſe gemmato manubrio Patres Veneti donant ob recte navatam operam in bello Peloponneſiaco. 344. *vulneratur ad Chalcidem*. 364.
Turre Profitius *Allobrogum præfectus Candiæ acriter pugnans interficitur*. 129.

V

V*Andeletius Regis Galliæ Legatus ab eo redire juſſus, Lariſſam, ut Regem Mahumetum decedens ſalutaret, veniens, ab eo rogatur, ut apud ſe Lariſſæ maneat*. 178.
Uberis Valerii *Germani factum egregium* 366. *& ſeq.*
Venerius Laurentius *navium graviorum præfectus*. 317.
Venetæ Reipublicæ benignitas adverſus Imperatores externos, qui eam adjuverant in bello Peloponneſiaco. 343. 344.
Venetiis ob Candiæ deditionem timor ingens, & mæſtitia populum occupat, qui deinde nunciis, & litteris de pace recreatur. 219. & 220.
de *Venetis Patriciis Senatuſconſultum, quorum virtus emicuerat contra Muſtaphum Turcarum ducem in prælio ad Paron commiſſo*. 14.

Ve-

Venetorum Princeps primus a duodecim familiis creatus. 1.
Venetorum ſocietas cum Cæſare, *&* Joanne *Poloniæ Rege quibus legibus contra Turcam inita*. 289. *&* *ſeqq*.
Verba virtutem non addunt, *ſed ad eam excitant*. 371.
Verneda Philippus *architectus eximius*. 282. *ad Chalcidem glande trajectus occumbit*. 366.
Veronenſis Baronius *ordinum ductor Candiæ glande plumbea ictus moritur*. 100.
Vertmillerus Venetias revocatur. 101.
Vexillum Turcarum captum pro Prætorio ad Coronem Venetiis in Ædem Divi Cajetani a Principe inſertur. 314.
in *Victoria vel inerti*, *atque ignavo gloriari licet*. 374.
Villa Chiro *domum redit*, *eique ſubrogatur* Alexander *Mombrunius Gallus*. 112.

Z

ZAccus Marcus *tribunus militum Candiæ acriter pugnans occiditur*. 129.
Zacynthii, *&* *Cephalenii terra*, *marique a prædonibus maritimis vexati a* Franciſco *Mauroceno liberantur*. 19.
Zernata Veneti potiuntur. 315.

INDEX LOCORUM.

A

ABæa, *Chiores*, oppidum Meſſeniæ littorale, Pheris proximum, cujus populi Abæatæ dicuntur.
Abydus, *Abido*, caſtellum ad Helleſpontum in finibus Aſiæ contra Seſtum arcem Europæ.
Acarnania, *Carnia*, regio Epiri in Auſtrum vergens, quam fluvius Achelous ab Ætolia dividit.
Achaja, quæ & Hellas, & Græcia, *Ducato di Chiarenza*, hodie *Lovadia*, & *Romelia*, regio Europæ ad Auſtrum Peloponneſi.
Achelous ſinus, *Golſo d' Aſpropotamo*.
Acritas, *Capo di Gallo*, aut *Capo Sapienza*, promontorium Peloponneſi.
Adriaticus ſinus, *Golſo di Venezia*, aliis *Mare Adriatico*.
Ægeum, *Arcipelago*, mare Mediterraneum.
Ægina, *l' Egina*, inſula ſitus Saronici, *Golſo dell' Engia*, Peloponneſo adjacens, contra Africam. A nautis vulgo dicitur *Engi*.
Ætolia, *Lepanto*, vel *Artinia*, regio Achajæ in Epiri confinio.
Alexandria, *Aleſſandria*.
Ambracius ſinus, *Golſo di Preveſa*, ob Victoriam Actiacam Auguſti contra Antonium celebris.
Amphimalia, *Suda*, & *S. Nicola*, oppidum Cretæ in ora Boreali Occidentem verſus.
Amphimalus ſinus; *Golſo di Suda*, inter Rhetymnam urbem ad Ortum, & Drepanum promontorium ad Occidentem.
Anactorium, & Anactoria, *Vonizza*, oppidum Epiri ad ſinum Ambracium.
Andrus, *Andro*, inſula maris Ægei non procul ab Euboea, una Cycladum. Vocatur etiam Antandros, Cauros, Laſia, Nonaria, Hydruſſa, Epagris.
Antirrhium, *Capo S. Andrea*, Ætoliæ

liæ promontorium contra Rhium, *Trapani*.
Arpicorni, caſtellum.
Arrabo, fluvius, qui Danubio miſcetur.
Aſcrivium, *Cataro*, vel *Caſtelnovo*, urbs Dalmatiæ.
Aſia, una ex quatuor Mundi partibus, ita dicta ab Aſia Nympha Oceani, & Tethyos filia.
Aſtypalæa, *Stampalia*, inſula maris Carpathii, e regione Cnidi; oppidum habens ejuſdem nominis.
Athene, *Atene*, nunc *Setines*, urbs Græciæ celeberrima, & Metropolis, ſita inter fluvium Cephiſum, & Iliſſum.
Atheſis, *Adige*, flumen Venetiæ ex finibus Rhætorum ortum ducens, & in mare Adriaticum ſe exonerans inter Foſſam Claudiam, & Carbonariam poſtremum Padi oſtium.
Attica, *Ducato di Setines*, regio Athenas circumdans.
Aulon, *Valona*, urbs Macedoniæ in Albania ſuperiori.

B

Bizantium, *Coſtantinopoli*, urbs omnium Europæarum maxima. Sita eſt ad Boſphorum inter Pontum Euxinum, & Propontidem, e regione Aſiæ minoris contra Chalcedonem urbem Bithyniæ.

C

Cadiſcum, *Capo Buſco*, promontorium Cretæ.
Calamus, *Calamata*, caſtellum non procul a flumine *Pamiſſo*, vulgo *Spirnazza*, erectum.
Calojero, caſtellum.
Camenecia, & Camienicum, *Kaminietz*, urbs Poloniæ munitiſſima, caput Podoliæ, in confinio Moldaviæ ad fluvium Smotzricum.
Candia, regnum, & urbs Cretæ.
Caphareus Euboeæ, *Capo d'oro*, aut *Chimi*, promontorium Euboeæ.
Carababa, *Carababà*, rupes, & arx.
Carnia, *Friuli*, provincia, unde Carni populi Venetiæ, *Furlani*.
Carpathus, *Scarpanto*, inſula maris Carpathii, una Sporadum, inter Cretam, & Rhodum.
Caſſovia, urbs Hungariæ ſuperioris caput.
Caſtrum Torneſium, *Caſtello Torneſe*, in ultimo promontorio Achajæ ſitum, juxta opinionem Baudrand *Chelonates* dictum. A Turcis *Clemoutzi* nuncupatur.
Cenchreæ, *Cenchres*, pagus, & navale Corinthiorum in ora ſinus Saronici ad Iſthmum.
Cephalenium, *Ceſalonia* inſula maris Ionii. Antiquitus vocabatur *Ceſſo*, o *Chieſſali*, & a Græcis *Tetrapolis*, propter quatuor urbes, quæ in ea erant.
Chalcia, *Charci*, inſula non procul a Rhodo.
Chalcis, *Negroponte*, urbs princeps inſulæ Euboeæ ad Euripum.
Euripus Chalcidius, *Stretto di Negroponte*.
Chelidoniæ, *Capo delle Correnti*, e *delle Chelidonie*, inſulæ maris Pamphilii, ſeu potius ſcopuli tres.
Chelonates, *Caſtel Torneſe*, Elidis promontorium.
Cherſoneſus Cretæ, *Spinalonga*, arx munitiſſima cum portu capaciſſimo.
Chielepha, *Chieleſà*, arx in rupe ſita non procul a portu Vitylo.
Chius, *Scio*, inſula Aſiæ in mari Ægeo, & Icario.
Clarentia, *Clarenza*, urbs Græciæ in Peloponneſo.

Cor-

Digitized by Google

Corcyra, *Corfù*, urbs, & inſula maris Ionii ad oſtium maris Adriatici, Epiro adjacens.

Corinthus, *Coranto*, totius Peloponneſi olim caput. A Turcis vocatur *Gerume*. Propter ſitum a nonnullis dicitur arx Peloponneſi.

Corinthiacus Iſthmus, *Stretto di Coranto*, aut *Stretto della Morea*. Celebris eſt propter ludos Iſthmios a Theſeo inſtitutos, Neptuni Templum, Theatrum inſigne, Stadium ex lapide albo ſtratum, & pinorum ſilvam, quarum frondibus in eo certantes coronabantur.

Corinthius ſinus, *Golfo di Coranto*.

Corone, *Coron*, urbs Peloponneſi in ora Meſſeniæ. A Poetis *Pedaſus* appellatur.

Cous, qui eſt ab inſula Coo. Hinc Apelles per excellentiam dictus Artifex Cous.

Creta, *Candia*, inſula maxima maris Cretici. Vini optimi fertiliſſima eſt. Animal nullum noxium gignit præter phalangium; caretque herinaceis, apris, & cervis.

Creticus, *Candiotto*, qui ex Creta eſt.

Cyclades, *Iſole dell' Arcipelago*, inſulæ quinquaginta maris Ægei, ita dictæ, quod circulum inter ſe conſtituant.

Cydon, vel Cydonia, *Canca*, urbs ex quatuor præcipuis inſulæ Cretæ.

Cyme, *Ciſme*, vel *Ciſmè*.

Cypariſſius ſinus, *Golfo d'Arcadia*, *Golfo di Zonchio*.

Cythera, *Cerigo*, inſula maris Ægei contra Promontorium Maleam. Dicta fuit ab Ariſtotele *Porphyruſa* propter marmor porphyriticum, quo abundat.

D

Delus, *Delo*, aut *Sdille*, inſula maris Ægei, ubi totius Græciæ emporium erat, & Græcorum ærarium. Non eſt admodum ampla, ſed inter Cyclades principem locum tenet, in illarum medio collocata.

Dia, *Standia*, inſula maris Cretici.

Drepanum, *Trapani*, urbs Siciliæ maritima in valle Mazarana ad radices montis S. Juliani cum arce valida dicta *la Columbara*, & portu capaciſſimo.

Dyme, *Clarenza*, urbs Peloponneſi, olim *Cyllene*, unde Mercurius *Cyllenius heros* dictus, quia ibi fertur natus.

Dyrrachium, *Durazzo*, urbs Macedoniæ celeberrima.

E

Elis, *Belvedere*, & *Jalea*, regio Peloponneſi inter Arcadiam, & Achajam, & mare Ionium.

Elyma, *Canina*, urbs Macedoniæ maritima.

Eperiæ, *Eperies*, urbs Hungariæ muniti ſſima.

Epidaurus, *Raguſi*, urbs ſui juris in ora Dalmatiæ ad mare Adriaticum.

Epidaurus Limæra, *Malvaſia*, urbs Peloponneſi in Laconia, unde celebre vinum *Malvaſia* dictum.

Euboea, *Negroponte*, provincia, aut urbs, a Turcis *Egribos* dicta, & a nonnullis *Egriponte*.

Euboicus ſinus, *Golfo di Negroponte*.

Eurotas amnis, *Baſilipotamo*, vel *Fiume Imperiale*, ita dictus ab Eurota Rege tertio Lacedæmonum.

F

Filletum, *Fillek*, oppidum Hungariæ Auſtriacæ.

Forum-Julium, *Cividal del Friuli*, urbs Carnorum, & *Friuli*, regio Italiæ, Venetiæ pars.

G

GErenia, *Paſava*, oppidum Laconiæ in Peloponneſo.

Gomenitiæ, *Gomenizze*, arx exigua in Peloponneſo.

Goritia, *Gorizia*, urbs Italiæ in Foro-Julio ad Sontium fluvium.

Grabuſæ, *Carabuſa*, locus ignobilis in Peloponneſo.

H

HEllespontus, *Stretto di Gallipoli*, maris anguſtia inter Seſtum caſtellum Thraciæ in Europa, & Abydum caſtellum Phrygiæ in Aſia.

I

JAdera, *Zara*, urbs Illyrici, Liburniæ caput.

Jaurinum, *Giavarin*, urbs parva in confinio Auſtriæ.

Illyricum, *Schiavonia*, regio ampla Euboeæ, mari Adriatico ad meridiem expoſita.

Ionium mare, *Mare Gionio*, inter Siciliam, & Græciam interfuſum, Peloponneſum ad occaſum attingens.

L

LAriſſa, *Laris*, urbs Syriæ, a qua Lariſſæus Jupiter dictus.

Lechæus portus, *Leſtejocori*, ad ſinum Saronicum, portus, & navale Corinthiorum.

Lemniacus, ad Lemnum ſpectans.

Lemnus, *Lemno*, nunc *Stalimene*, inſula Græciæ in mari Ægeo ſatis fertilis, & plana.

Leonum portus, *Porto Leone*, Athenarum portus, ita dictus a leone marmoreo, qui jacet ad littus. A Græcis hodiernis dicitur *Porto Draco*.

Lerus, *Lero*, inſula maris Ægei Cariæ adjacens, una Sporadum.

Lesbus, *Metelino*, inſula maris Ægei, & Myſiæ majoris.

Leucas, *S. Maura*, inſula Græciæ, Acarnaniæ fere adjacens, & ei ponte juncta, media inter Acroceraunia, & Peloponneſum.

Leuctrum, *Maina*, oppidum maritimum Laconiæ in Meſſeniæ confinio.

Limæra, *Napoli di Malvaſia*, urbs Peloponneſi in Laconia in rupe ſita.

Locris, *Giemei*, urbs magnæ Græciæ. De Locrenſibus fertur, eum bovem, quem Diis immolarent, non haberent, compoſito ex lignis minutis bovis ſimulacro, rem ſacram eo feciſſe. Hinc ortum adagium, *Locrenſis bos*, de re vili, & munere ſordido.

M

MAgneſia, *Capo di S. Giorgio*, & *Capo Verlichi*, promontorium Theſſaliæ.

Malea, *Capo Malio di S. Angelo*, promontorium Peloponneſi, in ora Auſtrali Laconiæ, contra Tænariam Laconicam, ſinum Laconicum finiens, & claudens.

Maliacus ſinus, *Golfo di Ziton*, aut *Golfo del Volo*.

Megalopolis, *Caſal Londari*, urbs Arcadiæ in Peloponneſo, vulgo *Atta grande*.

Megara, in monte ſita, locus ignobilis non procul Athenis.

Melita, & Melite, *Malta*, inſula maris Africi inter Siciliam, & Africam.

Melitenſis, *Malteſe*.

Melos, *Milo*, inſula maris Ægei, vel Cretici inter Dictynnam promon-

montorium Cretæ, & Scyllæum promontorium Peloponneſi.

Meſſene, *Coron*, & *Moſeniga*, olim urbs Meſſeniæ tractus caput, nunc oppidulum tenue, & nullius nominis.

Meſſeniacus ſinus, *Golfo di Coron*, inter Acritam, & Tænarum promontoria.

Methone, *Modon*, urbs Peloponneſi in ora Meſſeniæ ad Occaſum, a Turcis *Mutune* dicta.

Mitylene, *Metelino*, urbs princeps inſulæ Lesbi: quo nomine etiam inſula appellatur.

Moſchorum Rex, *Re de' Moſcoviti*.

Myrtoum mare, *Mare di Mandria*, pars Ægei inter Peloponneſum, & Atticam, ac Euboeæm inſulam.

N

Naupactus, *Lepanto*, Ætoliæ urbs, & regionis caput.

Nauplia, *Napoli di Romania*, urbs maritima Peloponneſi, & navale regionis Argiæ ad ſinum Argolicum.

Naxus, *Naſcia*, inſula cum urbe cognomine, una Cycladum, in mari Ægeo.

Nicopolis, *Preveſa*, arx munitiſſima ad ſinum Artæ.

Noviomagus, *Nimega*, urbs Belgii uniti, Gueldriæ inferioris caput, ad fluvium Vahalim.

Novi Urcei, *Orzi Novi*, arx Venetorum.

O

Oenuſæ inſulæ, *Sapienza* dictæ, tres ſunt in Peloponneſo ante Acritam promontorium.

P

Pagaſæ, & Pagaſus, *Volo*, oppidum Theſſaliæ, aliis *Armiro*.

Pamphilium mare, *Mare di Settalia*, Pamphiliam Aſiæ regionem alluens.

Pannonia, *Ungheria*, provincia, & regio maxima Europæ ſita inter flumina Saum, & Danubium.

Paros, *Paro*, inſula maris Ægei, una Cycladum, marmore Pario celebris, & lapide, quo, veluti Lydio, aurum probatur.

Pathmos, *Palmoſa*, aut *Palmoſſa*, inſula maris Icarii, una Sporadum.

Patræ, *Patraſſo*, urbs antiquiſſima, Achajæ caput. A Turcis vocatur *Badra*, & *Balabutra*. Initio dicebatur *Roa*, poſtea nuncupata eſt *Neupatria*. Ejus cives Cæſaris Auguſti privilegio Romanæ civitatis jure gaudebant.

Pelaſgicus ſinus, *Golfo dell' Armiro*, & vulgo *Golfo del Volo*.

Peloponneſus, *Morea*, Regnum. Peninſula maxima Græciæ ita à Pelope Rege dicta: olim Argia, Argos, Apia, & Pelaſgia nuncupata.

Peparethus, *Piperi*, inſula parva Macedoniæ in mari Ægeo.

Phocæa, *Fochia vecchia*, urbs Æolidis in Aſia minori, & in ora maris Ægei.

Pinarolium, *Pinarolo*, Italiæ urbs cum arce ad amnem Chiſonem, & ad radices Alpium, in Pedemontio.

Piſcherium, *Peſchiera*, Italiæ oppidulum probe munitum in ditione Veneta ad lacum Benacum, *Lago di Garda*.

Poecilaſium, *Pentalo*, ſeu *Pentalo*, oppidum Cretæ in ora Auſtrali.

Propontis, *Propontide*, nunc *Mare di Marmora*, mare inter Europam, & Aſiam, ſeu inter Aſiam minorem, & Thraciam.

Pylus, *Navarino*, nautis vulgo *Zoni*-

nichia, vel *Zunchio*, oppidum Meſſeniæ maritimum inter Cypariſſum promontorium, *Capo Conello*, ad Boream, & Methonem urbem ad meridiem. Olim Venetis parebat.

Pylus nova, *Navarino nuovo*.

R

RHium, *Trapani*, & *Capo di Patras*, promontorium Peloponneſi in Achaja ad fauces ſinus Corinthiaci contra Antirrhium promontorium Ætoliæ.

Rhodus, *Rodi*, inſula, & urbs in Aſia minore, in ora Cariæ.

Rhyzinum, Riſinum, Rizon, *Riſano*, *Riſine*, urbs olim Dalmatiæ, nunc vicus, ad ſinum Rhizonicum.

S

SAccania, tertia Peloponneſi provincia; vulgo dicitur *Romania minore*.

Sacrum promontorium, *Capo Corſo*, in inſula Corſica. Porrigitur Liguriam verſus.

Samothracia, *Samo*, inſula maris Ægei Thraciæ adjacens, hodie vulgo *Samandrachi*.

Samus, *Samo*, inſula maris Ægei.

Sciathus, *Scio*, inſula maris Ægei inter Euboeam, & Theſſaliam olim cum urbe cognomine, Scopelo proxima, ante Magneſiam promontorium.

Scopelus, *Scopulo*, inſula maris Ægei Sciatho vicina.

Scyllæum, *Capo Scigli*, Argiæ promontorium in agro Hermionico.

Servia, *Servia*, provincia, pars ampla Hungariæ late ſumtæ, a nonnullis dicta etiam *Serblia*.

Seſtus, *Seſto*, caſtellum ad Helleſpontum in finibus Europæ contra Abydum arcem Aſiæ; a Turcis vocatur *Bogazzaſſar*, h. e. *maris anguſtiæ*. Ita enim Turcæ nuncupant oppida in maris faucibus conſtructa, ſicuti Europæi *i Dardanelli*.

Sigæum, *Capo Janizzari*, Troadis promontorium in ora maris Ægei apud oſtium fluvii Scamandri contra inſulam Tenedum.

Sontius, *Liſonzo*, flumen Carnorum, quod ex Alpibus in Carniola provincia Germaniæ oritur.

Sphacteria, *Sapienza*, inſula Peloponneſi in ſinu Meſſeniaco inter urbem Pylum, & inſulam Proten.

Spinalonga, arx munitiſſima Cretæ cum portu capaciſſimo.

Stiria, *Stiria*, provincia Germaniæ verſus Muram, & Dravum fluvios.

Sunium, *Capo delle Colonne*, promontorium Atticæ inter Piræeum portum Athenarum, & promontorium Leonum Euboeæ.

Sycion, *Sicionia*, aut *Sicionide*, Peloponneſi provincia, ab urbe principe hoc nomen trahens.

T

TÆnarus, *Capo Matapan*, *Capo Maina*, *Porto delle quaglie*, portus Laconum, ita dictus a coturnicum copia.

Tenedus, *Tenedo*, inſula contra Sigæum Troadis promontorium parva, ſed amœna.

Tenus, *Tine*, inſula maris Ægei, apud Euboeam, & Melon, Callimachi Poetæ patria.

Thera, *Antimilo*, inſula maris Ægei apud Euboeam, & apud Melon.

Thermiacus ſinus, *Golfo di Salonichi*, ſinus maris Ægei in Macedoniam extenſus, in cujus intimo

mo

Digitized by Google

mo receſſu ad Boream Theſſalonica urbs ſita eſt, ubi antea Therma.

Thuſcus, *Toſcano*.

Tilaventum, *Tagliamento*, Carnorum fluvius, qui ex Alpibus Juliis oritur, longe, lateque per agros, cum nivibus, aut imbribus intumeſcit, exundans, & in mare Adriaticum inter Concordiam, & Aquilejam influens.

Torone, *Caſtel Rampo*, Macedoniæ oppidum ad ſinum Tornaicum.

Tzaconia, *Braccio di Maina*, regio prærupta, & aſpera, ſed fertilis Peloponneſi.

V

Venetiæ, *Venezia*, Italiæ urbs nobiliſſima, & pulcherrima in mediis aquis ſita in Veneta regione.

Vindobona, *Vvien*, Gallis *Vienne*, urbs Pannoniæ ſuperioris, Auſtriæ caput.

Vitylus, *Vitulo*, portus in ſinu Meſſeniaco.

Z

Zacynthus, *Zante*, inſula maris Ionii verſus oram Occidentalem Peloponneſi. Ità appellata fuit a filio Dardani *Zacyntho*.

Zemunicus, *Zemonico*.

Zernata, *Zarnata*, arx in colle amœniſſimo Peloponneſi ſita.

NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Lorenzo Filippi Inquiſitore Generale del Santo Officio di Padova, nel Libro intitolato *Antonii Arrighii &c. de Vita, & Rebus Geſtis Franciſci Mauroceni Peloponneſiaci Principis Venetorum &c. per decreto dell' Ecc. Conſ. di* X. non eſſer coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Giuſeppe Comino*, Stampatore in Padova, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 29. Luglio 1749.

(Giovanni Emo Proc. Rif.
(Barbon Moroſini Cav. Proc. Rif.
(Marco Foſcarini Cav. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a carte 9. al num. 85.

Michel Angelo Marino Segretario.

Digitized by Google



PATAVII. CIƆIƆCCXLIX.

PRIDIE KAL. NOVEMBRIS.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google